

Church of Pope, 1878-1903 (L. D. XIII) J. H. C.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII

ALLOCUTIONES, EPISTOLAE,

CONSTITUTIONES,


Aliaque Acta Praecipua.

— VOLUMEN IV. (1890-1891.) —



Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.,

M DCCC XCIV.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE COLLEGIO CLERICORUM BOHEMORUM
IN URBE CONDENDO.



ICARIAM potestatem Eius in terris gerentes,
 qui *via, veritas et vita est, via scilicet, ut S.*
Leo Magnus inquit, conversationis sanctae, ve-
ritas doctrinae divinae, et vita beatitudinis
sempiternae, nihil unquam praetermittendum
 censuimus, quod ad fidei integritatem et morum sanctitatem
 tuendam, firmiusque in dies nectenda vincula, quae varias
 christiani nominis gentes cum Apostolica Sede coniungunt,
 pertineret.

Ad hos porro fructus assequendos quisque videt quam
 necessaria sit opera, industria, virtusque eorum, qui in Dei
 exercituum militiam nomen dederunt, et, divinis ministeriis
 addicti, Deo et Ecclesiae se ipsos perpetuo consecrarent. — Hanc ob caussam decessorum Nostrorum
 vestigia secuti, ac memores eorum quae de sacerdotalis munera et officiis a sanctis Patribus mandata
 litteris et Pontificum maximorum legibus praescripta sunt,
 omni ope contendimus, ut iuvenum clericorum mentis et
 animi disciplinae diligenter consuleremus, ac potissimum in
 votis habuimus, ut delecti iuvenes clerici ex exteris quibusque
 nationibus suam in hac alma urbe domum altricem
 haberent, ubi penes hanc cathedram veritatis sanam doctrinam,
 dignumque sacrorum ministris animi cultum, accurata
 institutione perciperent. Hoc Nos animo et voluntate affecti,
 bonumque spectantes dioecesium regni Bohemi, ubi latus
 patet sacri ministerii fructibus campus, ab exordio Pontificatus
 Nostri cum Friderico e Principibus Schwarzenberg S.

^I
 JANUAR.
 1890.

Munere
 supremo
 fungens,

Pontifex de
 instituen-
 do clero sol-
 licitus,

præsertim
 de collegiis
 variarum
 nationum
 Romæ con-
 dendis,

2. LITTER. APOST. " VICARIAM POTESTATEM ,,

*auxili-
antibus
Cardin.
Archiep.
Pragensi et
Imperato-
re Austriae,
Regeque
Bohemica,*

*collegium
Bohemo-
rum, in pri-
vata domo
inchoatum,*

*in ades ad
S. Franci-
scae Roma-
nae suis
sumptibus
transla-
tum,*

*spe eximiae
juventutis
ductus, nec-
non totius
Bohemiae
votis obse-
cundans,*

*canonice
. erigit.*

R. E. Cardinali Archiepiscopo Pragensi illustris memoriae egimus, ut in hac urbe delectis regni Bohemi clericis instituendis propria constitueretur sedes, atque anno MDCCCLXXXIV, V. F. *Francisco e Comitibus de Schoenborn* Episcopo Budicensi, nunc S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Pragensi, operam navante, et Imperiali ac Regia Maiestate FRANCISCI JOSEPHI Austriae Imperatoris, Hungariae Regis Apostolici, et Bohemiae Regis, pro sedula cura, qua suorum populorum verae prosperitati studet, votis Nostris annuente, alumni Bohemi ad duodecim in contubernium in urbe, privata in domo primum, convictumque coaluerunt, quorum numerus iusti deinde ac legitimi collegii foret rudimentum.

Sed ad hanc rem illud maxime interesse visum est, ut stabilis alumnis pararetur domus, quae collegii pleno iure propria esset, et in alumnorum usum apte comparata. Quamobrem aedibus, quae ad S. Franciscae Romanae *Vico Sixtino* in urbe positae sunt, auctoritate Nostra coemptis, propria Bohemis alumnis sedes constituta est, in cuius emptiō nem ex aerario Nostro *octoginta* argenteorum italicorum *millia* contulimus.

Cum porro collegii initia prospere admodum cesserint, et non modo proximis annis alumnorum numerus auctus fuerit, sed etiam egregia initialium voluntas eorumque in doctrina et virtute progressus, spem firmam iniecerint, ampla ex eorum institutione commoda dioecesibus Bohemiae esse obventura, preces ad Nos delatae sunt, ut coetui de quo loquimur clericorum Bohemorum in urbe constituto, legitimi collegii ius auctoritate Nostra tribuere vellemus.

Nos itaque supremum fastigium operi imponere, cuius suscipiendi auctores suimus, opportunum rati, precibusque ad Nos allatis libenter annuentes, hisce litteris ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicæ religionis, ad decus utilitatemque incliti Bohemiae Regni collegium clericorum Bohemorum in urbe, quod ad S. Franciscae Romanae *Vico Sixtino* sedem habet, canonica institutione, sub Nostra et successorum Nostrorum auctoritate fundamus, constitui mus, eodemque iure esse volumus, quo pontificia clericorum collegia in urbe sunt, ad eas leges quae infra dicuntur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Pragensi et Episcopis omnibus Regni Bohemiae curae erit, clericos ex utroque idiomate Bohemo et Germanico quod in patria viget, in quibus voluntas inserviendi Deo in sacris ministeriis, ingenii acies, discendi ardor, bona corporis valetudo sit, gymnasiali studiorum cursu emenso, diligere in collegium cooptandos, quorum numerus in singulis dioecesibus proportione ita inter ipsas definiendus erit, ut ex omnibus in praesens non maior quam *triginta* alumnorum numerus conficiatur.

Alumni in collegium cooptati philosophicis et theologicis disciplinis operam dabunt, nec non aliis ecclesiasticis institutionibus fruentur, quae in pontificiis scholis in urbe traditae consueverunt.

Cum ad divina ministeria Dei munere se vocatos, et eruditio iter in urbe catholici orbis principe sibi apertum intelligent, nihil eis potius esse debebit, quam omni ope niti, ut gratis animis solidique prosectus fructibus divino beneficio respondeant. Quare ab ipso institutionis initio, ad pietatis et doctrinae laudem, ad observandas fideliter et obedienter disciplinae leges, ad omne genus officii, quod iuvenes decet in sortem Domini vocatos, animum diligenter adiicient.

Opera praeterea ipsis danda est, ut mutuam inter se caritatem concordiamque retineant, quam nulla offendio perturbet; studioseque animum intendant iis addiscendis quae ad divina officia, ad chori disciplinam, ad ministerium sacrorum pertinent, nec non cum vacua a studiorum curis tempora inciderint, scribendis habendisque in utraque lingua germanica et bohema sacris privatum concionibus, quo ad sacram verbi ministerium in patria obeundum, umbratili exercitatione mature informentur.

Cum porro alumni, doctrinae et pietatis studio probati, aetatisque maturitatem adepti, moderatorum iudicio digni habeantur qui sacris ordinibus initientur, statuimus ut iidem in urbe, dimissorialibus litteris suorum Episcoporum relatis, ad sacros ordines provehantur, eosque a legibus solvimus, quibus iure canonum cautum est ut denunciationes ha-

JANUAR.
1890.

*Bohemice
Episcopo-
rum cura
siteodem ad
sumnum
triginta
alumnos
egregios
mittendi.*

*Ratio stu-
diorum at-
que morum
instruc-
tio-
nis hujus
collegii de-
scribitur.*

*Ordinan-
di alumni
a communi-
canonum le-
ge eximun-
tur.*

beantur, stata temporis intervalla inter ordines serventur, itemque ne ordines extra tempora a iure constituta suscipiantur.

Collegium
Urbana-
num pro
norma ha-
beatur novi
collegii.

Quod Bo-
hemiae an-
tistites re-
gent,

per modera-
torem ab eius-
dem propo-
nendum, a
summo vero
Pontifice
instituen-
dum.

Huic sin-
gulis annis
regiminis
rationem
redditu-
rum.

*Adsit pro-
tector,*

*necnon
magister
pietatis.*

*Annua
subsidia*

In alumnorum disciplina leges quae in *collegio Urbano* fidei propagandae vigent, adhibitis praescriptionibus iis, quas sibi proprias collegii conditio postulat, accurate serventur.

Ius et potestas in collegium penes Archiepiscopum Pragensem caeterosque sacrorum Bohemiae Antistites, eaque una simul omnium erit.

Moderator collegio regendo, seu rector is erit, qui a Pontifice maximo eo nomine et potestate praeficiatur. Ipsi autem constituendo ius erit Archiepiscopo Pragensi, communicatis cum Bohemiae Episcopis consiliis, virum aut viros, quos hoc munere dignos censeat, Pontifici maximo designare.

Collegii moderator singulis annis de disciplinae rationibus, de moribus alumnorum, de rei familiaris conditione accuratam descriptionem dupli exempli conficiet, quorum alterum sacro *Consilio studiis regundis* praeposito, alterum Archiepiscopo Pragensi exhibeat, qui eamdem descriptionem caeteris Bohemiae Episcopis tradendam curabit.

Adiutorem autem vicario munere, seu pro-rectorem, moderator habebit, ex praestantioribus collegii alumnis, Episcopo annuente, cuius in ditione sit alumnus, diligendum: isque caeteris anterendus erit, qui virtutis et prudentiae laude, ad collegii usus magis opportunus videatur.

Ad magistrum pietatis in collegio constituendum, collegii moderator de viro quem huic magisterio opportunum censuerit ad Cardinalem *vice sacra Antistitem urbis* referet, isque rite delectus erit, cuius eligendi idem Antistes auctor fiat. Pietatis autem magister apud alumnos eosque, qui in collegii ministerio et domicilio sunt, parochi muneribus fungetur.

Quo autem necessariis sumptibus in alumnorum victum cultumque, quo vita indiget, copiae et facultates suppetant, praeter eam pecuniam quae ex aerario Austriaci Imperii in

religionis impensas constituto, in singulos alumnos suppeditatur, Nos praeterea auctoritate Nostra addicimus Bohemorum collegio et in perpetuum attribuimus redditus omnes et iura, quae domus sunt a Carolo IV Bohemiae Rege et Romanorum Imperatore in hospitium Bohemorum in urbe, vico *Caesarinorum* olim conditae, ad quod genus pertinet, tum annua pecunia Barberiniana scutatorum nummum sexaginta eidem hospitio legata, tum summa scutatorum nummum ducentorum a Pontificio Nostro datariatu annuis pensionibus persolvenda.

Cum porro rationibus rei familiaris collegii, amplioribus subsidiis consuli oportere intelligamus, in hanc rem omnes quas possumus curas ultro conferemus, nihil dubitantes de communi Bohemiae Antistitum in rem eamdem studio, qui probe norunt quantam utilitatum segetem haec clericalis ordinis palaestra in urbe constituta, ipsis in agro dominico excolendo allatura sit.

Certa autem et explorata spe ducimur, adnitentibus Episcoporum curis, piam liberalitatem copiosorum e Bohemia civium huic salutari operi non defuturam, ad quod liberalitatis genus optimum quemque, Dei gloriae studium, religionis amor et patriae caritas satis hortantur.

Haec volumus, statuimus atque edicimus, decernentes ut hae litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterrum permaneant: irritum autem et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.


Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 1 Ianuarii 1890, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

JANUAR.
1890.

*collegio
Bohemorum
munificen-
tia Roma-
ni Pontifi-
cis assi-
gnantur.*

*Ceterum
liberalitas
Bohemiae
tam salubri
operi non
defuerit.*

M. CARD. LEDOCHOWSKI.



LITTERAE ENCYCLICAE

DE PRAECIPUIS CIVIUM CHRISTIANO-RUM OFFICIIS.

ro
JANUAR.
1890.

Posthabita
sapientia
christiana
omnia mala
imminent.

Progressio
in ordine
materiali,
etsi hoc tem-
pore ingens,
hominem
ad finem
suum, De-
um nempe
cognoscen-
dum atque
amandum,
ducere ne-
quit.

*Idem va-
let de socie-
tate.*

*Quare so-
cietas exter-
na prove-
hens, sed re-
ligionem
negligens,
non vera
societas ha-
benda est.*

SAPIENTIAE christiana revocari praecepta, eisque vitam, mores, instituta populorum penitus conformari, quotidie magis apparet oportere. Illis enim posthabitibus, tanta vis est malorum consecuta, ut nemo sapiens nec ferre sine ancipiti cura praesentia queat, nec in posterum sine metu prospicere. — Facta quidem non mediocris est ad ea bona, quae sunt corporis et externa, progressio: sed omnis natura, quae hominis percellit sensus, opumque et virium et copiarum possessio, si commoditates gignere suavitatesque augere vivendi potest, natum ad maiora ac magnificentiora animum explere non potest. Deum spectare, atque ad ipsum contendere, suprema lex est vitae hominum: qui ad imaginem conditi similitudinemque divinam, naturâ ipsâ ad auctorem suum potiundum vehementer incitantur. Atqui non motu aliquo cursuque corporis tenditur ad Deum, sed iis quae sunt animi, cognitione atque affectu. Est enim Deus prima ac suprema veritas, nec nisi mens veritate alitur: est idem perfecta sanctitas summumque bonorum, quo sola voluntas aspirare et accedere, duce virtute, potest.

Quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica tum etiam civili intelligendum. Non enim ob hanc caussam genuit natura societatem ut ipsam homo sequeretur tamquam finem, sed ut in ea et per eam adiumenta ad perfectionem sui apta reperiret. Si qua igitur civitas nihil praeter commoditates externas vitaeque cultum cum elegantia et copia persequatur, si Deum in administranda republica negligere, nec leges curare morales consueverit, deterreme aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda, quam fallax imitatio simulatioque societatis. — Iamvero ea, quae diximus, animi bona, quae

in verae religionis cultu constantique praceptorum christianorum custodia maxime reperiuntur, quotidie obscurari hominum oblivione aut fastidio cernimus, ita fere ut, quanto sunt earum rerum incrementa maiora, quae corpus attingunt, tanto earum, quae animum, maior videatur occasus. Immunitae plurimumque debilitatae fidei christiana magna significatio est in iis ipsis iniuriis, quae catholico nomini in luce atque in oculis hominum nimis saepe inferuntur : quas quidem cultrix religionis aetas nullo pacto tulisset. — His de caussis incredibile dictu est, quanta hominum multitudo in aeternae salutis discrimine versetur : sed civitates ipsae atque imperia diu incolumia esse non possunt, quia labentibus institutis moribusque christianis, maxima societatis humanae fundamenta ruere necesse est. Tranquillitati publicae atque ordini tuendo sola vis relinquitur : vis autem valde est infirma, praesidio religionis detracto : eademque servituti pariendae quam obedientiae aptior, gerit in se ipsa magnarum perturbationum inclusa semina. Graves memoratu casus saeculum tulit : nec satis liquet num non sint pertimescendi pares. — Itaque tempus ipsum monet remedia, unde oportet, quaerere : videlicet christianam sentiendi agendique rationem in vita privata, in omnibus reipublicae partibus, restituere : quod est unum ad pellenda mala, quae premunt, ad prohibenda pericula, quae impendent, aptissimum. In id nos, Venerabiles Fratres, incumbere opus est, id maxima qua possumus contentione industriaque conari : eiusque rei caussâ, quamquam aliis locis, ut sese dedit opportunitas, similia tradidimus, utile tamen arbitramur esse in his Litteris magis enucleate officia describere catholicorum : quae officia, si accurate serventur, mirabiliter ad rerum communium salutem valent. Incidimus in vehementem eamque prope quotidianam de rebus maximis dimicationem : in qua difficillimum est non decipi aliquando, non errare, non animo multos succumbere. Nostrum est, Venerabiles Fratres, admonere quemque, docere, adhortari convenienter tempori, ut viam veritatis nemo deserat.

Esse in usu vitae plura ac maiora catholicorum officia, quam eorum qui sint fidei catholicae aut perperam compotes,

JANUAR.
1890.

*Hodie, quo
magis cre-
scit cura re-
rum corpo-
ralium, eo
minor fit
religionis
sollicitudo.*

*Inde in-
juriae fidei
christiane
publice il-
late.*

*Inde dis-
crimina ho-
minum, ci-
vitatum-
que.*

*Vim or-
dini tuen-
do absque
religionis
vinculo im-
parem esse,
graves jam
casus do-
cuere.*

*Quare, ut
redeatur
tum in pri-
vata vita,
tum in pu-
blica ad
christia-
nam sa-
pientiam,*

*his Litteris
Pontifex of-
ficia catho-
licorum
describere
intendit.*

Catholici, fide suscep-ta, Eccle-siaeque per ipsam sub-diti, officia sibi propria suscepere.

aut omnino expertes, dubitari non potest. Cum parta iam hominum generi salute, IESUS CHRISTUS praedicare Evangelium Apostolos iussit omni creaturae, hoc pariter officium hominibus universis imposuit, ut perdiscerent et crederent, quae docerentur: cui quidem officio sempiternae salutis omnino est adeptio coniuncta.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur (¹).

Sed christianam fidem homo, ut debet, complexus, hoc ipso Ecclesiae ut ex ea natus subiicitur, eiusque fit societatis maximae sanctissimaeque particeps, quam summa cum potestate regere, sub invisibili capite CHRISTO IESU, romani Pontificis proprium est munus. — Nunc vero si civitatem,

Uti civis terrenam patriam, ita, imo magis, catholicus Ecclesiam diligere debet, patriam caelestem, in terris peregrinantis.

in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique iubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe maius simili modo esse in Ecclesiam semper affectos. Est enim Ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem.

Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus: sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram: quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque, quam erga homines, sunt erga Deum officia sanctiora. — Ceterum

Uterque amor a Deo auctore est, ideoque nequit alter cum altero pugnare.

vere si iudicare volumus, supernaturalis amor Ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem semper principio profectae caritates, cum ipse sit utriusque auctor et caussa Deus: ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus, diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque quae reipublicae praesit: eodemque tempore Ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti Deum. — Nihilominus horum officiorum ordo, vel calamitate temporum vel iniquiore hominum voluntate, aliquando pervertitur. Nimirum incident causae, cum aliud videtur a

civibus respublica, aliud a christianis religio postulare: idque non alia sane de caussa, quam quod rectores reipublicae sacram Ecclesiae potestatem aut nihil pensi habent, aut sibi volunt esse subiectam. Hinc et certamen existit, et periclitandae virtuti in certamine locus. Urget enim potestas duplex: quibus contraria iubentibus obtemperari simul utrisque non potest: *Nemo potest duobus dominis servire* (¹), ita ut omnino, si mos geritur alteri, alterum posthaberi necesse sit. Uter vero sit anteponendus, dubitare nemo debet. — Videlicet scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus caussâ, discedere: nefas IESU CHRISTI leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, aut, per speciem civilis conservandi iuris, iura Ecclesiae migrare. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (²). Quodque olim magistratibus non honesta imperantibus Petrus ceterique Apostoli respondere consueverunt, idem semper est in caussa simili sine haesitatione respondendum. Nemo civis pace bellove melior, quam christianus sui memor officii: sed perpeti omnia potius, et ipsam malle mortem debet, quam Dei Ecclesiaeve caussam deserere. — Quapropter non habent vim naturamque legum probe perspectam, qui istam in delectu officii constantiam reprehendunt, et ad seditionem aiunt pertinere. Vulgo cognita et a Nobis ipsis aliquoties explicata loquimur. Non est lex, nisi iussio rectae rationis a potestate legitima in bonum commune perlata. Sed vera ac legitima potestas nulla est, nisi a Deo summo principe dominoque omnium profiscatur, qui mandare homini in homines imperium solus ipse potest: neque est recta ratio putanda, quae cum veritate dissentiat et ratione divina: neque verum bonum, quod suinmo atque incommutabili bono repugnet, vel a caritate Dei torqueat hominum atque abducat voluntates. — Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen, in qua divinae maiestatis speciem et imaginem quamdam tum etiam agnoscent, cum geritur ab indigno: iusta et debita legum verecundia, non propter vim et minas, sed propter conscientiam officii: *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris* (³). Verum si reipublicae

JANUAR.
1890.

Pugnant
tamen ali-
quando,
dum, excul-
pa reipubli-
cae recto-
rum, ordo
inter u-
trumque
perverti-
tur.

Quibus in
casibus Deo
obediendum
magis
quam homi-
nibus.

Hæc nullo
modo sedi-
tio est.

Num deest
reipublicæ
legitima po-
testas adju-
bendum
quod est
contrarium
rationi di-
vine et
summo bo-
no.

Civilem
auctorita-
tem ut a
Deocatholi-
cus veretur,
usquedum
non contra-
dicit aucto-
ritati divi-
ne.

¹. Matth., vi. 24. — ². Act., v. 29. — ³. II Tim., I, 7.

JO LITTER. ENCYCL. "SAPIENTIAE CHRISTIANAE ,,"

leges aperte discrepent cum iure divino, si quam Ecclesiae imponant iniuriam, aut iis, quae sunt de religione, officiis contradicant, vel auctoritatem IESU CHRISTI in pontifice maximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus : idque cum ipsius reipublicae iniuria coniunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione delinquitur. — Rursus autem apparet quam sit illa seditionis iniusta criminatio : non enim abiicitur principi legumque latoribus obedientia debita : sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei iniuria feruntur, ideoque vacant iustitia, et quidvis potius sunt quam leges. — Nostis, Venerabiles Fratres, hanc esse ipsissimam beati Pauli Apostoli doctrinam : qui cum scripsisset ad Titum, monendos christianos *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire*, illud statim adiungit, *ad omne opus bonum paratos esse* (¹) : quo palam fieret, si leges hominum contra sempiternam legem Dei quicquam statuant, rectum esse non parere. Similique ratione princeps Apostolorum iis, qui libertatem praedicandi Evangelii sibi vellent eripere, fortis atque excelsi animo respondebat, *si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate : non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui* (²).

*Nulla proin sedi-
tio, quum nulla ibi
possit esse
vera lex.*

*Ita docent
principes
Apostolo-
rum.*

*Maximum
christiano-
rum offi-
cium est
utramque
patriam de-
bito ordine
diligere.*

*Teste Jesu
Christo, ve-
ritas et ca-
ritas sunt
nobilissi-
mum re-
demptorum
patrimo-
nium.*

Ambas itaque patrias unumquemque diligere, alteram naturae, alteram civitatis caelestis, ita tamen ut huius, quam illius habeatur caritas antiquior, nec unquam Dei iuribus iura humana anteponantur, maximum est christianorum officium, itemque velut fons quidam, unde alia officia nascuntur. Sane liberator generis humani de se ipse : *Ego, inquit, in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (³). Similiter, *ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* (⁴)? In huius cognitione veritatis, quae mentis est summa perfectio, in caritate divina, quae perficit pari modo voluntatem, omnis Christianorum est vita ac libertas posita. Quarum rerum, veritatis scilicet et caritatis, nobilissimum patrimo-

1. Tit., III, 1. — 2. Act., IV, 19, 20. — 3. Io., XVIII, 37. — 4. Luc., XII, 49.

nium, sibi a IESU CHRISTO commendatum, perpetuo studio
vigilantiaque conservat ac tuetur Ecclesia.

^{JO}
JANUAR.
1890.

Sed quam acre adversus Ecclesiam bellum deflagraverit
quamque multiplex, vix attinet hoc loco dicere. Quod enim
rationi contigit complures res occultas et a natura involutas
scientiae pervestigatione reperire, easque in vitae usus apte
convertere, tantos sibi spiritus sumpsere homines, ut iam se
putent numen posse imperiumque divinum a communi vita
depellere. — Quo errore decepti, transferunt in naturam
humanam erectum Deo principatum : a natura petendum
omnis veri principium et normam praedicant : ab ea
manare, ad eamque esse cuncta religionis officia referenda.
Quocirca nihil esse divinitus traditum : non disciplinae
morum christiana, non Ecclesiae parendum : nullam huic
esse legum ferendarum potestatem, nulla iura ; imo nec
ullum Ecclesiae dari in reipublicae institutis locum oportere.
Expetunt vero atque omni ope contendunt capessere res
publicas et ad gubernacula sedere civitatum, quo sibi
facilius liceat ad has doctrinas dirigere leges moresque
fingere populorum. Ita passim catholicum nomen vel
aperte petitur, vel occulte oppugnatur : magnâque cuilibet
errorum perversitati permisâ licentiâ, multis saepe vinculis
publica veritatis christiana professio constringitur.

His igitur tam iniquis rebus, primum omnium respicere
se quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehen-
sam animo fidem intenta custodia tueatur, cavendo pericula,
nominatimque contra varias sophismatum fallacias semper
armatus. Ad cuius incolumitatem virtutis illud etiam per-
tile, et magnopere consentaneum temporibus iudicamus,
studium diligens, ut est facultas et captus singulorum, in
christiana doctrina ponere, earumque rerum, quae religio-
nem continent, quasque assequi ratione licet, maiore qua
potest notitia mentem imbuere. Cumque fidem non modo
vigere in animis incorruptam, sed assiduis etiam incremen-
tis oporteat augescere, iteranda persaepe ad Deum est
supplex atque humilis Apostolorum flagitatio, *adauge nobis
fidem* (¹).

*Contra
Ecclesiam
vertuntur
ipse pro-
gressiones
scientia-
rum.*

*Superbia
decepti, ho-
mines om-
nia ad
meram hu-
manam
naturam
contrahere
volunt, se-
moto Deo et
Ecclesia.*

*Sit proin
catholicus
religione
sua rite im-
butus,*

*fidemque
suam auge-
re studeat.*

Verum in hoc eodem genere, quod fidem christianam attingit, alia sunt officia, quae observari accurate religioseque si salutis semper intersuit, hac tempestate nostra interest maxime. — Nimirum in hac, quam diximus, tanta ac tam late fusa opinionum insaniam, profecto patrocinium suscipere veritatis, erroresque ex animis evellere, Ecclesiae munus est, idque omni tempore sancteque servandum, quia honor Dei, ac salus hominum in eius sunt tutela. At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem* (1). Cedere hosti, vel vocem premere, cum tantus undique opprimendae veritati tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis, quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque iniuriosum Deo: utrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans: solis fidei inimicis fructuosum, quia valde auget remissior proborum opera audaciam improborum. — Eoque magis christianorum vituperanda segnities, quia falsa crimina dilui, opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum, possunt: maiore aliquo cum labore semper possunt. Ad extreum, nemo unus prohibetur eam adhibere ac prae se ferre fortitudinem, quae propria est christianorum: qua ipsa non raro animi adversariorum et consilia franguntur. Sunt praeterea christiani ad dimicationem nati: cuius quo maior est vis, eo certior, Deo opitulante, victoria. *Confidite: ego vici mundum* (2). Neque est quod opponat quisquam, Ecclesiae conservatorem ac vindicem IESUM CHRISTUM nequaquam opera hominum indigere. Non enim inopia virium, sed magnitudine bonitatis vult ille ut aliquid a nobis conferatur operae ad salutis, quam ipse peperit, obtinendos adipiscendosque fructus.

Imo quisque paratus sit ad fidem quovis modo defendendam.

Dimicatio pro Ecclesia est Christianorum lex et gloria.

Fidem profiteantur et propagent.

Huiuscemus partes officii primae sunt, catholicam doctrinam profiteri aperte et constanter, eamque, quoad quisque potest, propagare. Nam, quod saepius est verissimeque dictum, christianae quidem sapientiae nihil tam obest, quam non

1. S. Thom., II-II Quæst. III, art. II, ad 2. — 2. Io., XVI, 33.

esse cognitam. Valet enim per se ipsa ad depellendos errores probe percepta: quam si mens arripuerit simplex praeiudicatisque non adstricta opinionibus, assentendum esse ratio pronuntiat. Nunc vero fidei virtus grande munus est gratiae bonitatisque divinae: res tamen ipsae, quibus adhibenda fides, non alio fere modo quam audiendo noscuntur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* ⁽¹⁾. Quoniam igitur fides est ad salutem necessaria, omnino praedicari verbum CHRISTI consequitur oportere. Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus iure divino penes magistros est, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* ⁽²⁾, maximeque penes Pontificem romanum, IESU CHRISTI vicarium, Ecclesiae universae summa cum potestate praepositum, credendorum, agendorum magistrum. Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit: qui, quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago. Quin imo privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna ac frugifera, ut prorsus deponendam iudicarint. *Omnes christifideles, maxime vero eos, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant* ⁽³⁾. Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit. — In officiis igitur quae nos iungunt Deo atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandisque erroribus elaboret singulorum, quoad potest, industria.

Quibus tamen officiis non ita, ut oportet, cumulate et

¹⁰
JANUAR.
1890.

Veritas
christiana
rite exposi-
ta assensum
rationis
postulat.

Prædicatio
hæc neces-
saria.

Magistris
primario
incumbit;

sed secun-
dario quo-
que priva-
tis fideli-
bus,

quorum
opera peru-
tilis, teste
concilio
Tridenti-
no.

Quisque
exemplo et
constantia
fidei prædi-
care tene-
tur.

1. Rom., x, 14, 17. — 2. Act., xx, 28. — 3. Const., *Dei Filius*, sub fin.

Sed et requiritur in certamine concordia.

Christus ad debellandos doctrinæ suæ, hostes Ecclesiam, ad modum corporis cuius esset ipse caput, instituit.

Hæc societas perfecta exigit actionem communem in membris.

Primo adsit concordia sententiarum,

de qua Paulus.

Principium agendi mens.

utiliter satisfacturi sunt, si alii seorsum ab aliis in certamen descenderint. — Futurum sane IESUS CHRISTUS significavit, ut quam ipse offensionem hominum invidiamque prior excepit, in eamdem pari modo opus a se institutum incurreret; ita plane ut ad salutem pervenire, ipsius beneficio partam, multi reapse prohiberentur. Quare voluit non alumnos dumtaxat instituere disciplinae suae, sed hos ipsos societate coniungere, et in unum corpus, *quod est Ecclesia*⁽¹⁾, cuius esset ipse caput, apte coagmentare. Permeat itaque vita CHRISTI IESU per totam compagem corporis, alit ac sustentat singula membra, eaque copulata tenet inter se et ad eumdem composita finem, quamvis non eadem sit actio singulorum⁽²⁾. His de caassis non modo perfecta societas Ecclesia est, et alia qualibet societate longe praestantior, sed hoc ei est inditum ab Auctore suo ut debeat pro salute generis humani contendere *ut castrorum acies ordinata*⁽³⁾. Ista rei christianaæ compositio conformatioque mutari nullo modo potest: nec magis vivere arbitratu suo cuiquam licet, aut eam, quae sibi libeat, decertandi rationem consecrari: propterea quod dissipat, non colligit, qui cum Ecclesia et IESU CHRISTO non colligit, verissimeque contra Deum contendunt, quicumque non cum ipso Ecclesiaque contendunt⁽⁴⁾.

Ad hanc vero coniunctionem animorum similitudinemque agendi, inimicis catholici nominis non sine caussa formidolosam, primum omnium concordia est necessaria sententiarum: ad quam ipsam videmus Paulum Apostolum Corinthios cohortantem vehementi studio et singulari gravitate verborum: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia*⁽⁵⁾. — Cuius praecepti facile sapientia perspicitur. Est enim principium agendi mens: ideoque nec congruere voluntates, nec similes esse actionis queunt, si mentes di-

1. Coloss., i, 24. — 2. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom., XII, 4, 5. — 3. Cantic., VI, 9. — 4. *Qui non est tecum, contra me est: et qui non colligit tecum, dispergit.* Luc., XI, 23. — 5. I Cor., 1, 10.

versa opinentur. **Qui solam** rationem sequuntur ducem, vix in eis aut ne **vix quidem** una esse doctrina potest : est enim ars rerum cognoscendarum perdifficilis : mens vero et infirma est naturâ, **et varietate** distrahitur opinionum, et impulsione rerum oblata **extrinsecus** non raro fallitur ; accedunt cupiditates, quae **veri** videndi nimium saepe tollunt aut certe minuunt facultatem. Hac de causa in moderandis civitatibus saepe datur opera ut coniuncti teneantur vi, quorum animi discordant. — Longe aliter christiani : quid credere oporteat, **ab Ecclesia** accipiunt, cuius auctoritate ductuque se certo sciunt verum attingere. Propterea sicut **una est Ecclesia, quia unus IESUS CHRISTUS**, ita cunctorum toto orbe christianorum una est atque esse debet doctrina. *Unus Dominus, una fides* (¹). *Habentes autem eundem spiritum fidei* (²), salutare principium obtinent, unde eadem in omnibus voluntas eademque in agendo ratio sponte gignuntur.

Sed, quod Paulus Apostolus iubet, unanimitatem oportet esse perfectam. — Cum christiana fides non humanae, sed divinae rationis auctoritate nitatur, quae enim a Deo accepimus, vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest (³), consequens est ut, quascumque res constet esse a Deo traditas, omnino excipere singulas pari similique assensu necesse sit : quarum rerum abnuere fidem uni huc ferme recidit, repudiare universas. Evertunt enim ipsum fundamentum fidei, qui aut elocutum hominibus Deum negant, aut de infinita eius veritate sapientiave dubitant. — Statuere vero quae sint doctrinae divinitus traditae, Ecclesiae docentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit. Summus autem est magister in Ecclesia Pontifex romanus. Concordia igitur animorum sicut perfectum in una fide consensum requirit, ita voluntates postulat Ecclesiae romanoque Pontifici perfecte subjectas atque obtemperantes, ut Deo. — Perfecta autem

JANUAR.
1890.

*Hujus sibi
relictæ de-
fectus, acce-
dentalibuscu-
piditatibus,
concordiam
perdiffici-
lem in na-
turalibus
redit.*

*At chris-
tiano, unus
Dominus,
una fides.*

*Hæc una-
nimitas
perfecta esse
debet, quum
unico fun-
damento
nitatur,
nempe divi-
nae rationis
auctoritate.*

*Quid au-
tem hæc
auctoritas
revelet, Ec-
clesia docet.*

1. Ephes., IV, 5. — 2. II Cor., IV, 13. — 3. Conc. Vat. Const. *Dei Filius,*
cap. 3.

*Ecclesiae
docenti obe-
dientia aut
perfecta aut
nulla.*

esse obedientia debet, quia ab ipsa fide praecipitur, et habet hoc commune cum fide, ut dividua esse non possit : imo vero si absoluta non fuerit et numeros omnes habens, obedientiae quidem simulacrum relinquitur, natura tollitur. Cuiusmodi perfectioni tantum christiana consuetudo tribuit, ut illa tamquam nota internoscendi catholicos et habita semper sit et habeatur. Mire explicatur hic locus a Thoma Aquinate iis verbis : *Formale... obiectum fidei est veritas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrina Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima. Unde qui- cumque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei : sed ea, quae sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem... Manifestum est autem, quod ille, qui inhaeret doctrinis Ecclesiae tamquam infallibili regulae, omnibus assentit, quae Ecclesia docet : alioquin side his, quae Ecclesia docet, quae vult, tenet, et quae non vult, non tenet, non iam inhaeret Ecclesiae doctrinae sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati (¹). Una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud (I Corinth. I) : Id ipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata : quod servari non posset nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam (²).*

*Præcla-
rus afferatur
locus D.
Aquinatis,
de unitate
fidei totius
Ecclesiae,
ad mentem
Pauli.*

In constituendis obedientiae finibus, nemo arbitretur, sacrorum Pastorum maximeque romani Pontificis auctoritati parendum in eo dumtaxat esse, quod ad dogmata pertinet, quorum repudiatio pertinax diiungi ab haereseos flagitio non potest. Quin etiam neque satis est sincere et firmiter assentiri doctrinis, quae ab Ecclesia, etsi solemni non definitae iudicio, ordinario tamen et universalis magisterio tamquam divinitus revelatae credendae proponuntur : quas *fide catholica et divina* credendas Concilium Vaticanum decrevit. Sed hoc est praeterea in officiis christianorum ponendum, ut potestate ductuque Episcoporum imprimis-

*Hec obe-
dientia fi-
dei comple-
ctitur, praे-
ter dogma-
ta expresse
diffinita,*

*doctrinas
universales
et ordina-
rias Eccle-
siae;*

que Sedis Apostolicae regi se gubernarique patiantur. Quod quidem quam sit consentaneum, per facile appareat. Nam quae divinis oraculis continentur, ea Deum partim attingunt, partim ipsum hominem itemque res ad sempiternam hominis salutem necessarias. Iamvero de utroque genere, nimirum et quid credere oporteat et quid agere, ab Ecclesia iure divino praecipitur, uti diximus, atque in Ecclesia a Pontifice maximo. Quamobrem iudicare posse Pontifex pro auctoritate debet quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepant: eademque ratione ostendere quae honesta sint, quae turpia: quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae caussa, necesse sit: aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset.

Altius praeterea intrandum in Ecclesiae naturam: quippe quae non est christianorum, ut fors tulit, nexa communio, sed excellenti temperatione divinitus constituta societas, quae illuc recta proximeque spectat, ut pacem animis ac sanctitatem afferat: cumque res ad id necessarias divino munere sola possideat, certas habet leges, certa officia, atque in populis christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suaे consentaneam. — Sed istiusmodi regiminis difficilis est et cum frequenti offensione cursus. Gentes enim Ecclesia regit per cunctos terrarum tractus disseminatas, genere differentes moribusque, quas, cum in sua quaeque republica suis legibus vivant, civili simul ac sacrae potestati officium est subesse. Quae officia in eisdem personis coniuncta reperiuntur, non vero pugnantia, uti diximus, neque confusa, quia alterum genus ad prosperitatem pertinet civitatis, alterum ad commune Ecclesiae bonum, utrumque parienda hominum perfectioni natum.

Qua posita iurium et officiorum terminatione, omnino liquet esse liberos ad res suas gerendas rectores civitatum: idque non modo non invitâ, sed plane adiuvante Ecclesia: quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est iustitia adversus Deum, hoc ipso ad iustitiam vocat erga principes. Verum longe nobiliore instituto potestas sacra eo spectat, ut regat hominum animos tuendo *regnum Dei* et

JANUAR.
1890.

*insuper re-
spicit regi-
men Epi-
scoporum et
imprimis
Sedis Apo-
stolice.*

*Ecclesia,
societas per-
fecta, com-
prehendit
omnes na-
tiones.*

*Regit proin
subditos,
civili pro-
priae natio-
nis potestati
alia ra-
tione subdi-
tos.*

*Ecclesia
rectores ci-
vitatum,
imponendo
legem ipsis
parendi,
adjuval.*

*Sed quod ad spiritu-
alia perti-
net sibi soli
vindicat.*

iustitiam eius (1), atque in hoc tota versatur. Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci : non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum IESUS CHRISTUS commendavit. — Cum hac de rebus politicis deque religiosis doctrinā quaedam alia coniunguntur non exigui momenti, de quibus silere hoc loco nouimus.

*Multum
interest in-
ter utram-
que rempu-
blicam.*

*Ecclesia,
societas per-
fecta, sed
altior, non
se immiscet
partibus po-
liticis,*

*neque
determinat
formas ci-
vilis regi-
minis.*

*Ecclesiam
in hoc imi-
tantes, ca-
tholici ad
partes Ec-
clesiam ne
trahant,*

*et ad de-
fensionem
religionis,
omni inter-
se seposito
dissidio
convolent.*

Ab omni politico genere imperii distat christiana respublica plurimum. Quod si similitudinem habet conformacionemque regni, profecto originem, caussam, naturam mortaliibus regnis habet longe disparem. — Ius est igitur, vivere Ecclesiam tuerique se consentaneis naturae suae institutis ac legibus. Eademque cum non modo societas perfecta sit, sed etiam humana quavis societate superior, sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium flexibus servire iure officioque suo valde recusat. Similique ratione custos iuris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur : ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. — Ad hoc exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate iustitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adiutricem velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium. Ex adverso sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio : imo in ipsa disciplina civitatum, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expedit christiano nomini : quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum operâ videatur, cesandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis

propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda. — Idque opus esse ducimus aliquanto exponere accuratius.

Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum : proptereaque in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque caussa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disiunctas esse sequitur, multoque minus pugnantes. — Sane non tantum nobis ut essemus natura dedit, sed ut morati essemus. Quare a tranquillitate ordinis publici, quam proxime habet civilis coniunctio propositam, hoc petit homo, ut bene sibi esse liceat, ac multo magis ut satis praesidii ad perficiendos mores suppeditet : quae perfectio nusquam nisi in cognitione consistit atque exercitatione virtutis. Simul vero vult, id quod debet, adiumenta in Ecclesia reperire, quorum operationis perfectae perfecto fungatur munere : quod in cognitione usque possum est verae religionis, quae princeps est virtutum, propterea quod, revocando ad Deum, explet et cumulat universas. — In institutis igitur legibusque sanciendis spectanda hominis indoles est moralis eadem ac religiosa, eiusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine : nec imperandum vetandumve quidquam nisi ratione habita quid civili hominum societati sit, quid religiosae propositum. Hac ipsa de caussa non potest Ecclesiae non interesse quales in civitatibus valeant leges, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in ius Ecclesiae invadunt. Quin imo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiae assignatum a Deo. Quoniamque fortuna reipublicae potissimum ex eorum pendet ingenio qui populo praesunt, idcirco Ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest, a quibus oppugnari sese intelligat, qui iura ipsius vereri aperte recusent, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendant. Contra fautrix, uti debet, eorum est qui, cum de civili deque christiana republica quod sentire rectum est, ipsi sentiant, ambas in communi

¹⁰
JANUAR.
1890.

*Utraque
societas in
suo ordine
principa-
tum tenet.*

*Civis jus
habet ut a
civili pote-
state adju-
vetur, non
solum ut
bene sibi
esse liceat,
sed ut mo-
rum perfe-
ctionem,
quippe per
veram reli-
gionem, at-
tingere pos-
sit.*

*Leges
proin civi-
les ordinem
moralem
respicere
debent.*

*Unde Ec-
clesia ne-
quit patro-
cinari ma-
los legisla-
tores, sed
fovere eos
debet quos
aequius ci-
vili pote-
state usuros
prævidet.*

*Ita et catho-
lici agant
oporet.*

bono concordes elaborare volunt. — His praeceptis norma continetur, quam in publica actione vitae catholicum quemque necesse est sequi. Nimirum, ubicumque in negotiis publicis versari per Ecclesiam licet, favendum viris est spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine merituris : neque caussa esse ulla potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere.

*Consensus
animorum
necessarius
ad fallen-
das insi-
dias hosti-
um Eccle-
siae;*

Ex quo apparet quam sit magnum officium tueri consensum animorum, praesertim cum per hoc tempus tanta consiliorum calliditate christianum oppugnetur nomen. Quotquot diligenter studuerint Ecclesiae adhaerescere, quae est *columna et firmamentum veritatis* ⁽¹⁾, facile cavebunt magistros mendaces... libertatem illis promittentes, *cum ipsi servi sint corruptionis* ⁽²⁾ : quin imo ipsius Ecclesiae virtutis participes futuri, insidias sapientia vincent, vim fortitudine.

*quod ex-
perientia,
ex defectu
concordiae
atque vir-
tutis bono-
rum, malo-
rum auda-
cia crescens
docuit.*

— Non est huius loci exquirere, num quid, et quantum ad novas res contulerit opera segnior atque intestina discordia catholicorum : sed certe erant homines nequam minus habituri audaciae, nec tantas edituri ruinas, si robustior in plurimorum animis viguisse fides, quae *per caritatem operatur* ⁽³⁾, neque tam late morum christianorum tradita nobis divinitus disciplina concidisset. Utinam praeteritae res hoc pariant, recordando, commodi, rectius sapere in posterum.

*Res ca-
tholicas re-
cturi fu-
giant simul
falsam pru-
dentiam ac
temerita-
tem.*

*Prudentia
carnis de-
scribitur.*

Verum ad negotia publica accessuris duo sunt magnopere vitia fugienda, quorum alterum prudentiae nomen usurpat, alterum in temeritate versatur. — Quidam enim potenti pollentique improbitati aperte resistere negant oportere, ne forte hostiles animos certamen exasperet. Isti quidem pro Ecclesia stent, an contra, incertum : quandoquidem profiteri se doctrinam catholicam affirmant, sed tamen vellet, certas ab eâ discrepantes opiniones impune propagari posse Ecclesia sineret. Ferunt dolenter interitum fidei demutationemque morum : nihil tamen de remedio laborant, vel etiam nimiâ indulgentiâ aut perniciosa quadam simulatione non raro malum augent. Idem de sua in apostolicam Sedem voluntate nemini volunt esse dubium : sed

1. I Tim., III, 15. — 2. II Pet., II, 1, 19. — 3. Galat., V, 6.

habent semper aliquid, quod pontifici succenseant. Istiusmodi hominum prudentia ex eo est genere, quod a Paulo Apostolo *sapientia carnis* et *mors animi* appellatur, quia nec subest legi divinae, nec potest subesse⁽¹⁾. Nihil autem minus est ad mala minuenda providum. Inimicis enim, quod praedicare et in quo gloriari multi eorum non dubitant, hoc est omnino propositum, religionem catholicam, quae vera sola est, funditus, si fieri posset, extinguere. Tali autem consilio nihil non audent: sentiunt enim, quo magis fuerit aliorum tremefacta virtus, eo sibi expeditiorem fore malorum rerum facultatem. Itaque qui adamant *prudentiam carnis*, ac nescire se simulant, christianum quemque debere bonum militem Christi esse: qui debita victoribus praemia consequi mollissimā viā atque intacti a certamine volunt, ii tantum abest ut iter malorum intercipiant, ut potius expediant.

Contra non pauci fallaci studio permoti, aut, quod magis esset vitio, aliud agentes, aliud simulantes, non suas sibi partes assumunt. Res in Ecclesia geri suo ipsorum iudicio atque arbitratu vellent usque eo, ut omne quod secus agitur, moleste ferant, aut repugnanter accipient. Hi quidem inani contentione laborant, nihilo minus, quam alteri, reprehendendi. Hoc enim est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere, simulque magistratum munia ad privatos rapere, magna cum perturbatione ordinis, quem Deus in Ecclesia sua perpetuo servandum constituit, nec sinit a quoquam impune violari. — Illi optime, qui descendere in certamen, quotiescumque est opus, non recusant, hoc rato persuasoque, interitiram vim iniustam, sanctitatique iuris et religionis aliquando cessuram. Qui videntur sane dignum aliquid antiqua virtute suscipere, cum tueri religionem conituntur maxime adversus factionem audacissimam, christiano nomini exagitando natam, quae Pontificem maximum in suam redactum potestatem consecitri hostiliter non desistit: sed obedientiae studium diligenter retinent, nihil aggredi iniussu soliti. Iamvero quoniam similis obtempe-

¹⁰
JANUAR.
1890.

Quam nociva sit causæ christianæ ostenditur.

Non secus ac falso prudentes, increpandi sunt qui partes magistrorum sibi temerarie et contentiouse assumunt.

Optime certe qui strenue quidem, sed ut milites ducebunt parentes, in certamen descendunt.

1. *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest.* Rom., VII, 6, 7.

*Commen-
datur hæc
virtus in-
deficiens,
prudentiae
spiritus
conjuncta.*

*Politica
prudentia
bonum com-
mune pro-
spiciens,*

*in Ecclesia
imprimis
Romanum
Pontificem
respicit,*

*dein Epi-
scopos ;*

randi voluntas, robusto animo constantiaeque coniuncta, christianis universis est necessaria, ut, quoscumque casus tempus invexerit, *in nullo* sint *deficientes* ⁽¹⁾, magnopere velimus in singulorum animis alte insidere eam, quam Paulus ⁽²⁾ *prudentiam spiritus* nominat. Haec enim in moderandis actionibus humanis sequitur optimam mediocritatis regulam, illud in homine efficiens, ne aut timide desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter temeritatem. — Est autem quod differat inter prudentiam politicam, quae ad bonum commune, et eam quae ad bonum cuiusque privatim pertinet. — Haec enim cernitur in hominibus privatis, qui consilio rectaeque rationi obediunt in gubernatione sui : illa vero in praepositis, maximeque in principibus, quorum munera est cum potestate praeesse : ita quidem ut politica privatorum prudentia in hoc videatur tota consistere, legitimae potestatis iussa fideliter exequi ⁽³⁾. Haec dispositio atque hic ordo tanto magis valere in christiana republica debet, quanto Pontificis politica prudentia plura complectitur : eius enim est non solum regere Ecclesiam, sed generatim civium christianorum actiones ita ordinare, ut cum spe adipiscendae salutis aeternae apte congruant. Ex quo apparet, praeter summam sententiarum concordiam et factorum, necesse esse politicam potestatis ecclesiasticae observare in agendo sapientiam. Iamvero christiana rei administratio proxime et secundum Pontificem romanum ad Episcopos pertinet : qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes ; cumque singulas Ecclesias singuli administrent, sunt quasi princi-

1. Iac., I, 4. — 2. Rom., VIII, 6. — 3. *Prudentia in ratione est ; regere autem et gubernare proprie rationis est ; et ideo unusquisque in quantum participat de regimine et gubernatione, intantum convenit sibi habere rationem et prudentiam. Manifestum est autem quod subditi, in quantum est subditus, et servi, in quantum est servus, non est regere et gubernare, sed magis regi et gubernari. Et ideo prudentia non est virtus servi, in quantum est servus, nec subditi, in quantum est subditus. Sed quia quilibet homo in quantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, intantum convenit ei prudentiam habere. Unde manifestum est quod prudentia quidem in principe est ad modum artis architectonicae, ut dicetur in VI Ethicorum ; in subditis autem ad modum artis manu operantis. S. Thom. II-II, Quæst. XLVII, art. XII.*

pales artifices... in aedificio spirituali (1), atque habent munerum adiutores, ac ministros consiliorum clericos. Ad hanc Ecclesiae constitutionem, quam nemo mortalium mutare potest, actio est accommodanda vitae. Propterea quemadmodum Episcopis necessaria est cum Apostolica Sede in gerendo episcopatu coniunctio, ita clericos laicosque oportet cum Episcopis suis coniunctissime vivere, agere. — Ipsorum quidem Antistitum utique potest esse aliquid aut minus laudabile in moribus, aut in sententiis non probabile: sed nemo privatus arroget sibi personam iudicis, quam Christus Dominus illi imposuit uni, quem agnis atque ovibus praefecit. Memoria quisque teneat sapientissimam Gregorii magni sententiam: *Admonendi sunt subditi, ne praepositorum suorum vitam temere iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis impulsu in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas praepositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis ingum reverentiae non recusent... Facta quippe praepositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur* (2).

Verumtamen parum sunt conata profutura, nisi ad virtutum christianarum disciplinam vita instituatur. — Illa est sacrarum Litterarum de Iudeorum genere sententia: *Usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem... Cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus* (3). Atqui inchoatam formam populi christiani gerebat Iudeorum natio: atque in veteribus eorum casibus saepe imago inerat veritatis futurae: nisi quod longe maioribus beneficiis auxit nos atque ornavit divina benignitas, ob eamque rem ingrati animi crimen multo efficit christianorum graviora delicta.

Ecclesia quidem nullo tempore nulloque modo deseritur a Deo: quare nihil est, quod sibi ab hominum scelere me-

JANUAR.
1890.

*qui ordo
ab omnibus
servetur
oportet.*

*Antistites
judicare
non priva-
torum est
sed supremi
Pastoris.*

*Citatur
Gregorius
magnus.*

*Summum
remedium
esse in redi-
tu ad vir-
tutes chri-
stianas,*

*exemplu
populi Ju-
daici aperte
constat.*

1. *S. Thom. Quodlib. 1, xiv.* — 2. *Reg. Pastor. P., III, Cap. IV.* — 3. *Iudith, v, 21, 22.*

*In pœnam
degeneran-
tium Chri-
stianorum
maxima
mala civi-
tatis im-
minent.*

tuat : at vero degenerantibus a christiana virtute nationibus non eadem potest esse securitas. *Miseros enim facit populos peccatum* (¹). — Cuius vim veritatemque sententiae si omnis retro experta est aetas, quid est caussae quamobrem nostra non experiatur ? Imo debitas iam instare poenas, permulta declarant, idemque status ipse confirmat civitatum ; quarum plures videlicet intestinis malis attritas, nullam ab omni parte tutam videmus. Quod si improborum factiones institutum iter audacter perrexerint : si evenerit iis ut, quemadmodum grassantur malis artibus et peiore proposito, sic opibus potentiaque invalescant, metuendum sane ne totas civitates a fundamentis, quae posuit natura, convellant. —

*Quæ
mala, cura
hominum
haud de-
flectenda, a
solo misé-
ricordi Deo
humiliter
exorato de-
pelli poten-
runt,*

Neque vero prohiberi tantae formidines sola hominum ope possunt, praesertim quia multitudo ingens, fide christiana reiecta, iustas superbiae poenas in hoc luit, quod veritatem obcaecata cupiditatibus frustra conquirit, falsa pro veris amplexatur, sibique videtur sapere cum vocat *malum bonum*, *et bonum malum*, ponens *tenebras lucem*, *et lucem tenebras* (²). Igitur Deus intersit, ac benignitatis suae memor civilem hominum societatem respiciat necesse est. Quamobrem,

*et a virtu-
tibus chri-
stianis re-
divivis.*

quod vehementer alias hortati sumus, singulari studio constantiaque entendum, ut clementia divina obsecratione humili exoretur, virtutesque, quibus efficitur vita christiana, revocentur. — Imprimis autem excitanda ac tuenda caritas est, quae praecipuum vitae christiana firmamentum continet, et sine qua aut nullae omnino sunt, aut fructu vacuae virtutes. Idcirco beatus Paulus Colossenses adhortatus, ut vitium omne desugerent, variamque virtutum laudem consercentur, illud subiicit, *super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (³). Vere vinculum est perfectionis caritas, quia quos complexa est, cum Deo ipso intime coniungit, perficitque ut vitam animae hauriant a Deo, cum Deo agant, ad Deum referant. Debet vero caritas Dei cum caritate proximorum consociari, quia infinitam Dei bonitatem homines participant, eiusque gerunt in se expressam imaginem atque formam. *Hoc mandatum habe-*

*Imprimis
instauretur
caritas :*

*caritas
nempe Dei*

*conjuncta
cum cari-
tate proxi-
morum.*

1. Prov., XIV, 34. — 2. Is., V, 20. — 3. Coloss., III, 14.

*mus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (1). Si quis dixerit quoniam, diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est (2). Atque hoc de caritate mandatum divinus eius lator *novum* nominavit, non quod diligere homines inter se non aliqua iam lex, aut ipsa natura iussisset, sed quia christianum hoc diligendi plane novum erat atque in omni memoria inauditum genus. Qua enim caritate IESUS CHRISTUS et diligitur a Patre suo et homines ipse diligit, eamdem impetravit alumnis ac sectatoribus suis, ut cor unum et anima una esse in ipso possent, sicut ipse et Pater unus natura sunt. Huius vis praecepti nemo ignorat quam alte in christianorum pectus a principio descenderit, et quales quantosque concordiae, benevolentiae mutuae, pietatis, patientiae, fortitudinis fructus attulerit. Quidni opera detur exemplis maiorum imitandis? Tempora ipsa non exiguo admovent ad caritatem stimulos. Renovantibus impiis adversus IESUM CHRISTUM odia, instauranda christianis pietas est, magnarumque rerum effectrix renovanda caritas. Quiescant igitur, si qua sunt, dissidia: sileant certationes illae quidem, quae vires dimicantium dissipant, nec ullo modo religioni prosunt: colligatisque fide mentibus, caritate voluntatibus, in Dei atque hominum amore, ut aequum est, vita degatur.*

Locus admonet hortari nominatim patresfamilias, ut his praecepsis et domos gubernare studeant, et liberos mature instituere. Initia reipublicae familia complectitur, magna-que partem alitur intra domesticos parietes fortuna civita-tum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio de-terret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum iniuria posse: naturâ enim parentes habent ius suum insti-tuendi, quos procreant, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratiâ sobolem Dei beneficio suscepserunt, ipsa edu-ca-tio conveniat et doctrina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant ut sua in po-

JANUAR.
1890.

Commen-datur man-datum no-vum cari-tatis fra-ternæ,

a primis christiani-s mire ser-vatæ,

hodie summe ne-cessaria.

Monen-tur patres-familias ut educando-rum chri-stiane libe-rorum se-dulo ope-ram susci-piant.

Qualis esse debeat ista insti-tutio.

testate sit educere liberos, uti par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis. Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda maiora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas magno sumptu, maiore constantia paravere. Aemulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet; sed positum sit imprimis, omnino in puerorum animis plurimum institutionem domesticam posse. Si adolescentis aetas disciplinam vitae probam, virtutumque christianarum tamquam palaestram domi repererit, magnum praesidium habitura salus est civitatum.

Commentantur catholici qui scholas propriosumptu paravere.

Stimulatur zelus Antistitum.

Attigisse iam videmur, quas maxime res hoc tempore sequi, quas fugere catholici homines debeant. — Reliquum est, idque vestrarum est partium, Venerabiles Fratres, curare ut vox Nostra quacumque pervadat, omnesque intelligent quanti referat ea, quae his litteris persecuti sumus, reipsa efficere. Horum officiorum non potest molesta et gravis esse custodia, quia iugum IESU CHRISTI suave est, et onus eius leve. — Si quid tamen difficilius factu videatur, dabitis auctoritate exemploque operam, ut acrius quisque intendat invictumque praestet a difficultatibus animum. Ostendite, quod saepius ipsi monuimus, in periculo esse praestantisima, ac summe expetenda bona: pro quorum conservatione omnes esse patibiles labores putandos; ipsisque laboribus tantam remunerationem fore, quantam christiane acta vita maximam parit. Alioqui propugnare pro Christo nolle, oppugnare est; ipse autem testatur (¹), negaturum se coram Patre suo in caelis, quotquot ipsum coram hominibus profiteri in terris recusarint. — Ad nos quod attinet, vosque universos, numquam profecto, dum vita suppetat, commissuri sumus, ut auctoritas, consilium, opera Nostra quoquo modo in certamine desideretur. Neque est dubium, cum gregi, tum pastoribus singularem Dei opem, quoad debellatum erit, adfuturam.

Qua erecti fiducia, caelestium munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae tamquam pignus Vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, quibus singuli praestis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Ianuarii 1890,
Pontificatus Nostri anno duodecimo.

¹⁰
JANUAR.
1890.

*Apostolica
benedictio
impertitur.*

LEO PP. XIII.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE FESTO S. JOSEPHI IN HISPANIA
REGIONIBUSQUE EI SUBIECTIS
RESTITUENDO.

28
JANUAR.
1890.

Inter fructus e recenti Encyclica perceptos Pontifex salutat Hispaniae catholice postulationes de instaurando publice festo S. Josephi.

Tituli ad hunc cultum commendantur,

specialissime pro Hispania, S. Teresiae, eximiae S. Josephi cultricis, patria.

QUOD paucis abhinc mensibus, Nobis christianum populum ad implorandum sanctissimi Deiparae Sponsi patrocinium cohortantibus, de studio sacrorum Antistitum, quibus litteras encyclicas dedimus, sperandum esse videbatur, id eventu ipso iam confirmari coepisse haud exigua animi Nostri laetitia percipimus. — Huius enim studii luculentum extitit testimonium ex servidissimis precibus, quas, certiore facto Hispaniae gubernio, Nobis exhibuerunt plures catholici illius regni Episcopi vota cleri et populi proponentes, qui inde occasionem captandam censuerunt, ut consilium, quod iamdudum susceperant, optatum exitum habere posset. Avitum nempe Hispanorum studium, et propensam omnium animorum erga Beatissimum Patriarcham voluntatem cogitantes, diem eius recordationi consecratum e festorum dierum numero sublatum publica religione carere aegre ferebant Venerabiles illi Episcopi, et universim quicumque christiano nomine censemur iure ac merito conquerebantur; ideoque a Nobis impensissimis precibus postularunt, ut diem S. Iosepho sacrum in pristinam dignitatem restituamus. Hunc sane honorem beatissimo Viro deberi nemo est qui non videat. Qui enim Virginis Deiparae Sponsus electus eius dignitatis coniugali foedere particeps fuit, quem Christus Dei Filius et suum esse custodem et parentem existimari voluit, qui divinae in terris domui quasi patria potestate praefuit, qui Ecclesiam habet sua fidei ac tutelae concreditam, ea excellit praestantia, ut nullo non sit obsequio prosequendus. — Verum inclita Hispaniae natio propriam habet caussam, qua beatum Deiparae Sponsum praecipuo prosequatur honore, excolat obsequio, quam Archiepiscopus Vallisoletanus una cum eiusdem provinciae

Episcopis in precibus Nobis admotis opportune commemo-
ravit. In Hispania enim, in illa ipsa provincia Vallisoletana,
et ortum duxit et vitam omnium virtutum exercitatione
insignem egit sancteque obiit intemerata Virgo Teresia,
quae, quum vehementissimo IESU amore exardesceret, S.
Iosephi, quem Parentem suum IESUS Servator existimari
voluit, eximiam dignitatem incredibili prosequuta obsequio,
patrocinium praedicavit, cultum promovit. — His igitur
precibus, quae gratissimo animum Nostrum sensu perfude-
runt, libentissime obsecundantes, suprema auctoritate
Nostra constituimus atque edicimus, ut dies decima nona
Martii Beato Iosepho sacra per totam Hispaniam, et in
regionibus ei subiectis, diebus festis accenseatur, ita ut
omnes cum sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis pro-
fanis operibus quae servilia dici solent abstinere praecepto
debeant, quo magno Ecclesiae Patrono debitum tribuatur
obsequium, et efficacissimo eius patrocinio universa natio
largius fruatur. — Non obstantibus, quamvis speciali atque
individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium
facientibus quibuscumq; Volumus autem, ut praesentium
litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu
alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in
ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus
adhibetur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si
forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die
28 Ianuarii 1890, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

²⁸
JANUAR.
1890.

Ratas ha-
bens hasce
postulatio-
nes, Ponti-
flex sancit
festum 19
martii per
totam His-
paniam
diebus festis
accensem-
dum.



EPISTOLA

Ad Cardinalem Rampolla, de morte fratribus

Iosephi Cardinalis.

15
FEBRUAR.
1890.

*Pontifex
recolit mul-
tiplicia af-
fectus con-
dolentis tes-
timonia si-
bi undique
exhibita in
morte dilec-
tissimi fra-
tris.*

*Cum So-
cietate Jesu,
partes præ-
cipuas huic
luctui Ro-
ma habuit.*

*Publice
se gratum
Pontifex
testatur.*

*Vota facit
pro anima
defuncti.*

IN mezzo al profondo dolore da cui fu trafitto il Nostro cuore per la morte dell'amatissimo Nostro fratello Giuseppe, l'unico che Ci rimaneva, Ci sono state di grande consolazione e d'indicibile sollievo le singolari prove di affettuoso interesse, dateci a gara da ogni parte. Sovrani e Principi, il Sacro Collegio dei Cardinali, gli Ambasciatori e i Ministri accreditati presso la Santa Sede, grandissimo numero di Vescovi a nome pure del loro clero e popolo, comunità religiose, associazioni cattoliche si fecero sollecite di dimostrarci la parte vivissima che hanno preso al Nostro dolore; e perchè queste non fossero sterili condoglianze, vi hanno aggiunto fervide e speciali preghiere a conforto Nostro e a suffragio dell'anima del compianto fratello. — La Compagnia di GESU che lo aveva ricevuto tra i suoi, di particolari cure lo circondò infermo, pietosi offici ed onoranze gli prodigò dopo morto. Ma in questa dimostrazione di affetto Roma tiene un posto a parte; chè i capitoli delle basiliche patriarcali vollero rendere all'estinto solenni funebri onori: i prelati, il patriziato, la nobiltà, i cittadini Ci fecero esprimere i sensi del loro dispiacere per il Nostro lutto e accordarono numerosi a pregare pace al defunto.

Commossi e grati per questi attestati di affetto vogliamo che tutti conoscano i sensi di vivissimo gradimento con cui li abbiamo accolti e la singolare consolazione che ne abbiamo provato. E di questo diamo speciale incarico a lei, signor Cardinale, che ben conosce i Nostri sentimenti a questo riguardo.

Faccia il Signore nella sua infinita misericordia che all'anima del diletto Nostro germano, il quale consacrò tutta la sua vita alla ricerca e all'insegnamento della verità e in essa trovò le sue delizie, venga per tante preghiere affrettata la visione della prima ed essenziale verità, che

tutte in sè le comprende e che forma la beatitudine dei celesti comprensori.

¹⁹
FEBRUAR.
1890.

Riceva, signor Cardinale, come pegno del Nostro specialissimo affetto, l'Apostolica benedizione che di cuore le impartiamo.

Dal Vaticano 15 Febbraio 1890.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

Ad Cardinalem Benavides et Navarrete Archi-
episcopum Caesaraugustanum.
DE CATHOLICORUM CONVENTU CAESA-
RAUGUSTAE HABENDO.

19
FEBRUAR.
1890.

Pontifex laudat propositum celebrandi novi conventus, simulque recolit conventum Matritianum superiore habitum.

Vota facit, argumenta retractanda probat, Episcopos, imprimis cardinalem Præsidem, ut sapienter conventum regant, horatur.

UOD tuae Nobis nunciarunt litterae Ianuario mense exeunte datae de altero Hispanorum catholicorum conventu Caesaraugustae habendo, ducibus auctoribusque dioecesum praesulibus, id Nos magnopere delectavit. Iucundiores hunc nuncium fecit officium tuum quo lumen petiisti et adprecationem propitiam ab hac Apostolica Sede, quo auspicatus ea res suscipi possit et felicius perfici. Inceptum sane est eiusmodi quod Nobis solatio sit, ac spem bonam ostendat; similis enim conventus Matriti coactus anno superiore, celebris frequentia virorum doctrina et dignitate praestantium, cui et ipse praefuisti, praeclara edidit testimonia fidei et constantiae singularis, quum solemniter Ecclesiae iura et sanae doctrinae vim salutarem adseruit. — Laeta hinc spes affulget fore ut coetus tibi adsessurus in ista civitate, prænobili ob pietatem civium, quam ornatiorem faciunt martyrum suorum palmae et Reginae superum tutela praesens, nihil concedat Matritensi conventui splendore celebritatis et amplitudine congradientium; imo clarior eo sit et fructus pariat ubiores. Plane argumenta rerum de quibus discep- tandum erit, quae Nobis obsequenter significata sunt, scienter ac tempestive selecta agnovimus; merito autem confidimus ea docte copioseque explicatum iri, optimasque exinde initum iri rationes et consilia quae civilis societatis et Ecclesiae temporibus maxime expediant. — Eo firmius autem hac spe nitimur, quod gravibus viris disputantibus ac deliberantibus rectrix ac moderatrix aderit prudentia et auctoritas Episcoporum, tuaque praesertim, dilecte fili Noster, cui partes erunt agendae pares dignitati qua prae-

stas. Evidem haud ambigimus quin, ducibus vobis, Hispaniae fideles catholicae religionis studium a maioribus traditum constanter retinere pergent, ac sedulo meminerint hanc sibi potissimum gloriae et potentiae caussam extitisse.

At vero fructus maximus atque optatissimus per hunc conventum capiendus erit ex aucta et confirmata animorum coniunctione ad communem matrem Ecclesiam tuendam, quae in praesens conflictatur asperime. Huius concordiae conciliandae fovendaque studium cum tibi aliisque Ecclesiarum praesulibus, tum ceteris Hispanis fidelibus commendamus enixe.

Haud obscurae sunt Nobis pertinacis dissidii caussae, e studiis partium in re civili manantes, quae istic catholicos viros inter se committunt et ab officiis arcent gravioribus quae Deo et Ecclesiae debentur. Agnoscant denique omnes hoc sibi esse agendum, quod litteris Nostris encyclicis XVIII kalendas Februarias datis tradidimus, ut, misera et inani concertatione reicta, viribus iunctis invictae phalangis instar, consurgant ad caussam tuendam rei catholicae in grave discrimen adductam. — Quamobrem te aliosque Hispaniarum Antistites etiam atque etiam hortamur, ut occasionem nacti, quam indictus vobis conventus praebet, nulli parcatis labori et industriae quae flectere possit obfirmatos animos, ne se amplius ferri sinant eo contentionis spiritu, qui spiritui adversatur lenitatis et pacis divini Conditoris Ecclesiae, et communium hostium effert audaciam. Eos itaque, prout res postulaverit, monete, obsecrate et arguite, neque eos latere sinite, optatam hanc concordiam, tantorum parentem et altricem bonorum, sine gravi piaculo praepediri ac scindi non posse. Testem interea paternae caritatis Nostrae Apostolicam benedictionem habete, quam tibi, dilecte fili Noster, aliisque, qui Hispanarium dioecesisibus praesunt, simulque clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 19 Februarii 1890,
Pontificatus Nostri anno duodecimo.

*19
FEBRUAR.
1890.*

*Fructus
princeps
colligendus
sit concor-
dia bono-
rum in
tuenda Ec-
clesia.*

*Pontifex
premit ca-
tholicos ut
tandem,
monitis pa-
rentes suis,
steriles dis-
cordias po-
nant.*

*Optatissi-
mam hanc
concordiam
zelo Präsu-
lum instan-
ter com-
mendat.*

LEO PP. XIII.

ALLOCUTIO

ad S. R. E. Cardinales.

DE OFFICIO SUMMI PONTIFICIS.

MART.
1890.

Pontifex
vota Sacri
Collegii
grate exci-
piens,

vitam
suam Deo
devovet ad
pugnan-
dum pro
Ecclesia
undique op-
pugnata.

Thesauros
catholicæ
doctrinæ
societati
summe pro-
futuros spe-
rat.

ICEVA il Sacro Collegio dei Cardinali i Nostri più grati sentimenti per gli auguri, che per la bocca del suo degno Decano Ci ha così nobilmente fatto nella ricorrenza anniversaria di questo giorno.

Il doppio natale, che Ella, Signor Cardinale, ha testè ricordato, Ci ammonisce della Nostra grande età e degli anni non brevi passati in tempi assai difficili sulla Cattedra di S. Pietro. La vita Nostra è nelle mani di Dio, ed è già da gran tempo tutta consecrata al servizio della Chiesa. Il Nostro voto più ardente è che ogni giorno della vita che Ci rimane riesca ad esaltazione della Chiesa medesima, ad incremento della fede, ed a salvezza delle anime. E poichè i tempi presenti sono tempi di guerra più che mai accanita, e i nemici sono molti e potenti e stretti, dovunque, in formidabile lega contro la Chiesa di Cristo e contro il Pontificato, la grazia che imploriamo e che desideriamo C'impetrino dal cielo le preghiere de' Nostri figli, è che non abbia mai da mancare coll'età la vigoria necessaria per le grandi lotte, la forza di bastare alle immense cure che porta seco l'Apostolico ministero.

È vero, Signor Cardinale; Noi fin dai primordi del Pontificato abbiamo creduto essere Nostro specialissimo compito mostrare al mondo i grandi tesori della dottrina cattolica, sia perchè da molti non conosciuta, sia perchè da altri travisata, calunniata e combattuta; e principalmente perchè siamo convinti che da tale dottrina benè intesa e fedelmente praticata verrebbe infallibilmente la più felice e la più completa soluzione dei grandi problemi che agitano l'umana società e il rimedio efficace a tanti mali che la travagliano. Lo abbiamo particolarmente mostrato per ciò che tocca la stabilità e il buon andamento della società domestica, la costituzione degli Stati, i pericoli del socialismo,

il benessere delle classi operaie. — È sommamente deplorevole che l'umana ragione, sdegnosa di ogni freno e ricusando di assogettarsi allo stesso Dio, da cui essenzialmente dipende, si ribelli al lume della verità divina, audacemente la impugni e giunga ad opporre ad essa i suoi trovati, le conquiste dei tempi nuovi. L'esperienza di un secolo ha provato ciò che possari promettersi da questi nuovi trovati la prosperità dei popoli, la tranquillità degli Stati, la felicità delle famiglie. — Del resto è grande e funesta aberrazione credere gl'insegnamenti cattolici incompatibili coi progressi e collo stato della presente società: essi non sono incompatibili che cogli errori che la malizia o l'ignoranza vi ha mescolato. La verità e i principi regolatori dell'umano consorzio sono di tutti i tempi ed hanno la virtù sempre fresca e sempre nuova di apportare in ogni epoca vita e salvezza. Guai alla società se in mezzo al farneticare della superbia e della licenza umana non risplendesse sempre sulla terra il sole della verità cattolica, per illustrarla della sua luce e riscaldarla del suo raggio secondatore! Noi perciò non desisteremo mai di annunziare al mondo la dottrina, di cui GESÙ CRISTO ha fatto depositaria, interprete e maestra la sua Chiesa, colla missione d'insegnarla a tutte le genti. *Euntes, docete omnes gentes.* — È il ministero della parola gran parte dell'Apostolico officio, ed a questo dovere coll'aiuto del cielo non falliremo giammai. Sia pure che questa parola molti la disprezzino e la scherniscano; sia pure che per somma ingiuria veggano in essa la ribellione alle terrene potestà, là dove non è che doverosa soggezione ed omaggio a Dio; l'avvilimento della ragione dove non è che la perfezione e la somma dignità della medesima; la servitù dove non è che la vera libertà, sola degna dell'uomo. È questa una ragione di più per mettere in luce la verità dei celesti insegnamenti, la quale, se la società deve essere ancora salva, tosto o tardi, finirà per trionfare sopra i travimenti dell'umana perversità.

Così piacesse al cielo che quelli che hanno in mano le sorti delle nazioni in tanta prevalenza d'idee le più sovversive, si adoperassero nell'interesse della società a far cessare

MAR^{T.}
1890.

*Mentes
hominum
a veritate
aversas do-
let.*

*Catholica
doctrina,
nendum ob-
sist progres-
sui huma-
næ societa-
tis, ipsum
summopere
tuetur.*

*Quare,
quidquid
calumnien-
tur hostes,
a prædi-
cando verbo
salutis
numquam
desistet.*

*Utinam
rectores ci-
vitatum sa-
perent, Ec-
clesiamque
juarent.*

la guerra che in tutti i rami del pubblico insegnamento, colla stampa e ogni altro mezzo, si muove contro la dottrina cattolica ; piacesse al Signore che si decidessero a porre la Chiesa e specialmente il suo Capo supremo in condizioni tali di libertà e d'indipendenza da poter senza contrasti esercitare la missione ricevuta da Dio a salute del mondo.

*Sacro Col-
legio bene-
dicit.*

Con questo voto, che è pure il voto di tutti voi, rinnoviamo al Sacro Collegio i Nostri ringraziamenti, ed a prova dello specialissimo affetto che gli portiamo, siamo lieti d'impatriare anche in questa occasione, a lei, Signor Cardinale, e a tutti i suoi Colleghi, ai Vescovi e Prelati e a tutti qui presenti l'Apostolica benedizione.



LETTERA

Ad Gulielmum II, Imperatorem Germaniae,
DE CONVENTU BEROLINI HABENDO
AD DELIBERANDUM
DE CONDITIONE OPIFICUM.

Noi rendiamo grazie a V. M. della lettera che Ella ha voluto scriverci per interessarci alla Conferenza internazionale, la quale sta per radunarsi a Berlino, allo scopo di cercare i mezzi di migliorare le condizioni delle classi operaie. — Ci è anzitutto gradito di felicitare V. M. per aver preso tanto a cuore una causa così nobile, così degna di seria attenzione e che interessa l'intero universo.

Questa causa d'altronnde non ha cessato dal preoccupare Noi stessi, e l'opera intrapresa da V. M. risponde ad uno dei Nostri voti più cari. Già pel passato, come Ella si ricorda, Noi abbiamo manifestato i nostri pensieri sopra questo argomento e colla Nostra parola abbiamo fatto valere in suo favore l'insegnamento della Chiesa cattolica, di cui Noi siamo il Capo. — In una più recente circostanza Noi abbiamo di nuovo ricordato questo insegnamento ; e perchè questo difficile ed importante problema sia risoluto secondo tutte le regole della giustizia, ed i legittimi interessi della classe laboriosa sieno, come si conviene, tutelati, Noi abbiamo esposto a tutti ed a ciascuno, compreso i governi, i doveri e gli obblighi speciali che loro incombono.

Senza verun dubbio l'azione combinata dei governi contribuirà potentemente a raggiungere lo scopo tanto desiderato. La conformità di vedute e delle legislazioni, per quanto almeno lo consentano le condizioni diverse dei luoghi e dei paesi, sarà di natura da fare grandemente progredire la questione verso una equa soluzione.

Perciò Noi non potremo che appoggiare altamente tutte le deliberazioni della conferenza, che tenderanno a rialzare

*MART.
1890.*

*Pontifex
Imperatoris
gratias agit
de invitante
se
epistola, de
que consilio
salutari ab
ipso inito.*

*Recolit
quæ ipse in
eodem or-
dine egerit,
dixerit.*

*Ad quæsi-
tum solven-
dum quum
multa utiliter
statui
possint a
potestate ci-
vili,*

*eadem
latanter se
probatu-
rum decla-
rat.*

*Sed insu-
per, teste
ipso Impe-
ratore, de-
clarat ad-
hibenda re-
media a re-
ligione pe-
titia, necnon
ab Ecclesia.*

*Rationem
hujus asser-
ti exponit.*

*Quid pos-
sit ad hunc
finem Ec-
clesia liber-
tate pollens
ostendit.*

le condizioni degli operai, come per esempio, una distribuzione di lavoro più proporzionata alle forze, all'età ed al sesso di ciascuno, il riposo nel giorno del Signore ed in generale tuttociò che impedirà che l'operaio sia sfruttato, come un vile strumento, senza riguardo per la dignità di uomo, per la sua moralità, pel suo focolare domestico.

Però non è sfuggito a V. M. che la felice soluzione di una questione così grave richiederebbe, oltrechè il savio intervento dell'autorità civile, il possente concorso della religione e la benefica azione della Chiesa. — Il sentimento religioso invero è solo capace d'assicurare alle leggi tutta la loro efficacia ed il Vangelo è il solo codice ove si trovino consegnati i principi della vera giustizia, le massime della mutua carità che deve unire tutti gli uomini come figli dello stesso padre e membri della stessa famiglia.

La religione insegnereà quindi al padrone a rispettare nell'operaio la dignità umana ed a trattarlo con giustizia ed equità. Essa inculcherà nella coscienza dell'operaio il sentimento del dovere e della fedeltà e lo renderà morale, sobrio ed onesto. — È per aver perduto di vista, negletti e disconosciuti i principi religiosi che la società si vede scossa fin dalle sue fondamenta. Richiamarli e rimetterli in vigore è l'unico mezzo di ristabilire la società sopra le sue basi e di garantirle la pace, l'ordine e la prosperità. Ora è questa la missione della Chiesa, di predicare e di diffondere nel mondo intero questi principi e queste dottrine.

Ad essa quindi appartiene di esercitare una larga e seconda influenza nella soluzione del problema sociale. Tale influenza Noi l'abbiamo esercitata e Noi la eserciteremo ancora, specialmente a profitto delle classi operaie. — Dal canto loro i Vescovi ed i Pastori, aiutati dal loro clero, agiranno egualmente nelle loro rispettive diocesi, e Noi speriamo che questa salutare azione della Chiesa, lungi dal vedersi contrariata dai poteri civili, troverà d'ora in poi presso loro aiuto e protezione. Ce ne sta garante da un lato l'interesse che i governi annettono a questa grave questione e dall'altra il benevolo appello che V. M. Ci ha testè diretto. Intanto Noi facciamo i più ardenti voti affinchè i lavori

della conferenza sieno secondi di benefici resultati e rispondano pienamente alla comune attesa.

E prima di terminare la presente, Noi vogliamo esprimere qui la soddisfazione che abbiamo provato, apprendendo che V. M. aveva invitato a prendere parte alla Conferenza, in qualità di Suo delegato, Monsignor Kopp, Principe Vescovo di Breslavia. Egli si terrà certo onoratissimo di questa prova di alta fiducia, che V. M. gli dà in tale occasione.


È infine colla più viva soddisfazione che Noi esprimiamo a V. M. i voti più sinceri che Noi facciamo per la Sua prosperità e per quella della Sua Imperiale Famiglia.

Dal Vaticano, 14 Marzo 1890.

*14
MART.
1890.*

*Vota fa-
ciens pro
felici suc-
cessu con-
ventus,
gaudet E-
piscopum
Breslavien-
sem, eidem
interfatu-
rum.*

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

Ad presb. Sarda y Salvany, directorem

ephemeridis « Revista popular ».

DE RATIONE SCRIPTORIBUS EPHEME- RIDUM SERVANDA.

¹⁵
MART.
1890.

Pontifex
gratias agit
scriptori de
votis trans-
missis cum
munere, de-
que zelo lu-
culenter ex-
presso.

Scriptori-
bus epheme-
ridum com-
mendat
spiritum
concordiae,
obedien-
tiam Sedi
Apostolice
atque Epi-
scopis.

Graviter
dolet et re-
probat ali-
ter nonnul-
los se ges-
sisse.

QUOD tua in Nos studia constare volueris, redeunte die sacra Epiphaniae Domini, editis obsequii significationibus piisque votis pro Ecclesiae victoria, tuo lectorumque tuorum nomine, id sane Nobis pergratum accidit : maior autem huic officio commendatio ex eo accessit quod, pietatem ss. Magorum imitatus, collatae stipis munere cumulaveris obsequii tui testimonium, tametsi opus hisce non erat ut tuus erga Nos innotesceret animus, quippe quem satis prodit finis quem in edenda ephemeride tibi propositum esse significas ; nempe ut eius ope latius effundatur sana Ecclesiae doctrina. Non exigua quidem huius propositi laus est, atque initendum tibi tuisque sociis ut illud penitus assequamini. — Id vero commodissime fiet, si ii qui vacant quotidianaे scriptioи sedulo spiritum foveant concordiae et pacis ne partium civilium studiis abripiantur quae Hispanos fideles in diversa trahunt ; si religiose absoluteque pareant iis quae ab Apostolica Sede praecepta sunt ad haec tollenda dissidia et firmandam animorum coniunctionem, quam Christus Dominus constare voluit inter omnes credituros in se ; demum si in rebus agendis docilem retineant obedientiam Episcopis debitam, qui tradita a gloriose maioribus servantes instituta huic arci veritatis adhaerent arctissime. — Quum haec scriptorum ephemeridum officia sint, miserum sane est quod ii non desint qui ab ipsis desciscunt ; imo eo deveniant ut verbis abutantur litterisque nostris, quibus parem in omnes benevolentiam praestamus, ut eos impetant qui aliter ac ipsi de re publica sentiunt, et tristes foveant concertationes. Quo facto nihil est indignius, quippe eo spectat ut tuendae

religionis obtentu privatae simultates exerceantur, ingenti cum iactura ipsius religionis et caritatis, quam impense et constanter commendamus, ut omnes in Domino idem sapiant ac velint.

15
MART.
1890.


Nosti, dilekte fili, opportune parari ad arctam hanc conjunctionem fovendam (qua nihil Nobis est antiquius nihil enixius expetendum tam necessario rei christianaे tempore) catholicorum virorum indictum Caesaraugustae conventum. Quare haud ambigimus quin ephemeris tua plurimum operae collatura sit quo magis excitet studiosos sui ac letores omnes, ut quacumque valent ratione et ope studiis obsecudent sacrorum Antistitum, qui huic conventui praerunt, quo plenius optatos habeat exitus.

Hac freti fiducia tibi, dilekte fili, tuisque sociis, nec non iis qui ephemeridis tuae editioni subscripsere et reliquis eiusdem lectoribus Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Martii 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

*Invitat
scriptorem
ut commen-
det lectori-
bus conven-
tum Cæsar-
augustæ
proxime
habendum,
a quo mul-
tum pro
concordia
sperat.*

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Episcopum Orgeliensem.

DE SEDANDO DISCORDIARUM STUDIO.

20
MART.
1890.

Pontifex
commendat
opportunam
epistolam
nuper ab
Episcopo
Orgeliensi
de studio
concordiae
ad clerum
gregemque
datam.

Agendi
ratio dis-
cordiae a-
matorum
gravissime
notatur.

Non reli-
gionis sed
alterius rei
studium fo-
rentes, lu-
cem ope-
runt, cæci
cæcorum
duces.

CUM huic opportuna tempori, tum Nobis gratis-
sima extitit epistola ad clerum et populum tibi
creditos a te data, ac per dilectum filium Nostrum
Cardinalem a publicis negotiis administrum ad
Nos transmissa, qua vestigia sequens praesignata a Nobis
in litteris encyclicis, maximeque in iis quarum initium
« *Sapientiae christianaæ* » hortatus es catholicos Hispanos
ut, positis dissidiis, quibus in contraria scinduntur, unum
sapiant omnes ac sentiant. Namque illud sane miserum
quod aliquot abhinc annos complures ex iis, decepti ac
distracti studiis civilium partium humanisque commodis,
ceperint invicem concertare ductu et imperio pauciorum
quorumdam, qui eximia istius populi religione abutuntur,
ut adversarios deprimant quibuscum de re publica dissen-
tiunt, privatas expleant cupiditates, et quae Dei sunt in
rem suam vertant. — Quo spiritu hi duces agantur ex eo
licet arguere, quod sibi docendi munus arrogant in Ecclesia,
ut de fratum fide sanaque doctrina iudicium ferant, quod
in rebus agendis, quae ad religionem pertinent, atque in
ipsis sacris aedibus cum iis a quibus dissident sociari no-
lent; quod sese invicem ope ephemeredum quotidianis ac
publicis incessant conviciis; quod in suam sententiam de-
torqueant documenta apertissima, quibus sua agendi ratio
a potestate ecclesiastica improbatur; quod graviter moniti
cunctari callide, ac tergiversari non desinant; demum quod
suspiciosi ac circumspecti erga Pastores suos, eorum auto-
ritatem et moderationem (verbo licet obsequentes) reapse
tamen despiciant. — Plane ex hisce indicis perspicitur, non
veritatis ac religionis (quae obtenditur) sed alterius rei stu-
dium fovere haec dissidia et simultates christiana profes-
sione prorsus indignas. Si itaque obfirmato animo in sua
perstant sententia post ingentes curas frustra a Nobis et ab
Episcopis impensas, ut eos a pleno periculis tramite avoca-

remus, in comperto est eos lucem odisse, ac malle caecos esse et caecorum duces. — Quae cum Nobis dolenda sunt, tum eo fiunt acerbiora quod his contentionibus, deflendis oppido et ingloriis, expertes non sint ecclesiastici quidam viri officii immemores, quodque deterius est, religiosi sodales spectatae pridem fidei et observantiae in Apostolicam Sedem, qui clam vel palam operam conferunt, ut malum hoc insidat penitus latiusque manet maxima cum pernicie supremarum Ecclesiae rationum et patriae. Sic inscii forsan et imprudentes dexteræ punientis Dei ministri fiunt qui pacis nunciandæ divino nomine ministerium inierant.

Haec Nobis considerantibus aptissima temporis visa sunt quae legimus in litteris tuis, quibus scite ac dilucide caussas, vim et originem explicavisti malae huius labis, quae Hispaniam inficit, quae ex ea sint metuenda damna, quaeque illi adhibenda remedia. — Facere idcirco non possumus quin merita offeramus laude studium quo constanti obsecundas sollicitudini Nostræ, Hispanosque fideles revocare contendis ad caritatem perfectam, summamque animorum coniunctionem, quam necessaria Ecclesiae tempora et districta christiani civis officia postulant. Hinc etiam laeta spe tene-
mūr fore ut egregium opus tuum, connitentibus aliis in episcopatu fratribus, imprimis vero adspirante Deo, ac suffragantibus sanctis praestitibus, queis iure gloriatur Hispania, optatos habeat eventus; nempe ut catholici omnes, Pastoribus audientes dicto, humana quavis utilitate posthabita, iuvenili quodam animi impetu, digno maiorum suorum fide, et consociatissima voluntate convolent quasi agmine facto ad communem tuendam matrem, Ecclesiam, quae tantis premitur aerumnis et ab hostibus tam multis et infensis in certamen adducitur. — Hac spe freti testem dilectionis Nostræ Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, nec non clero et populo tuae vigilantiae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 20 Martii 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

²⁰
MART.
1890.

*Inter quos
dolendum
est quosdam
ecclesiasti-
cos et reli-
giosos viros,
inscios for-
san, repe-
riri.*

*Valde
inde com-
mendat
Pontifex
zelum Prä-
sulis Orge-
liensis,*

*cujus opus
præcellens
optat fore
perutile ad
revocando
animos dis-
cordiarum
æstu labo-
rantes.*

EPISTOLA

ad Philippum Archiepiscopum Coloniensem.

DE QUAESTIONE SOCIALI, DEQUE MISSIONIBUS AFRICANIS.

20.
APRIL.
1890.

Pontifex
sese quæsti-
oni sociali
maxime
proficitur
sollicitum.

Ad hanc
solvendam
potiores
partes Ec-
clesia agit,

quippe
cui Evangelium
commissum
est, omnia
jura ac offi-
cia perfecte
comple-
ctens.

REM magni discriminis versari haud ignoras in ea quaestione quae socialis dicitur, cuius tanta gravitas est ut eos quoque sollicitet qui in maximis Europæ regionibus summae rei praesunt. Neque te latet eo iamdiu curas Nostras fuisse conversas, ut perspectae fierent intimae huius mali caussae, quaeque sint illi aptissima adhibenda remedia. Quin etiam in litteris non ita pridem datis ad Serenissimum Germaniae Imperatorem, Borussiae Regem, qui perhumaniter Nobis scripserat de illustri conventu qui ea super re Berolini nuper est habitus, perspicue declaravimus studium quo ferimur ut miseris opitulemur, qui victum labore quaeritant iisque omnem pro viribus benevolentiam praestemus. — Illud sane prudentiam tuam latere nequit, quod magna licet praesidia sint queis civilis potestas uti valet ut operariorum conditio allevetur, potiores tamen sint in eo salutari opere partes Ecclesiae. Quippe divina vis qua religio pollet mentes hominum penitus et corda permeans sic ea dirigit ac flectit, ut iusti rectique viam sequantur ultro. — Est enim Ecclesia nativo quodam iure revelatae a Deo veritatis fidelis custos a Christo Domino, qui sapientia Patris est, mandatum habens et heres caritatis Eius, qui «*propter nos egenus factus est cum esset dives*» ut aequo dives ac pauper Ipsius referrent imaginem, adepti dignitatem filiorum Dei : atque ita pauperes dilexit ut iis praecipuae praebaret caritatis indicia. Ab eo profecta est sanctissima Evangelii doctrina, qua nullum prestabilius munus est humano generi datum ; nam descripta praeferens immutabilia singulorum iura et officia, nobili iustitiae et caritatis complexu sola potest efficere ne quid asperum sit in ea conditionum differentia quam suapte vi natura hominum gignit. Quare tutissimam iniret viam

omniaque gereret auspiciatissime ea gens, quae quidquid appetit, quidquid publice ac privatim gerit ad huius veracis doctrinae normam exigeret.

*20
APRIL.
1890.*

Haec plane Nobiscum sentiunt et intelligunt sacri Antistes Germanici Imperii, quorum pastoralem zelum probarunt Nobis plura ab iis piae gesta vel incepta ut aerumnosae vitae plebis operariae et egentis apta delenimenta pararent.— Verum quo plenius et efficacius praestare queat Ecclesia quae res ac tempus postulat, studiis viribusque coniunctis omni utendum est ratione et ope, quae eidem praesto sit ad mali levamen comparata. Scilicet imprimis conniti oportet patienti et actuosa sedulitate ut, emendatis moribus, assuescant populi privatim ac publice sic vitam agere ut doctrinae congruat et exemplis Christi: tum opera danda est ut ne a sacris iustitiae et caritatis praeceptis discedatur siqua de re ambigitur inter varios civium ordines, atque ut ea, quae forte oboriantur, dissidia paterna interposita Pastorum auctoritate tollantur: curandum denique ut leviores toleratu sint inopibus praesentis vitae molestiae, ac divitibus opes instrumento sint non fovendae cupiditatis et inferendae iniuria, sed beneficae stipis elargiendae, qua praetiosiores thesauros acquirant in caelis.

Quare multa censemus laude digna quac pia Germanorum industria molitur dum aedes parat quo pacati opifices honeste conveniant, scholas condit et gynaecea, ut sexus utriusque iuventus apte recteque instituatur, sodales congregat ad fovendam pietatem, aliaque id genus aggreditur. Siquidem haec eo pertinent ut non modo operarii homines commodius vitam agant, eorumque leventur rei familiaris angustiae, sed etiam ut religio bonique mores ab iis colantur. — Nobis enimvero periucundum accideret si Germaniae Episcopi ea qua excellunt animi constantia, simul adnitentibus clero et fidelibus, iisdem felicibus religionis auspiciis, quibus ea quae diximus suscepta sunt, opportunitissima haec opera et instituta propagare latius, aliaque adiicere similia possent, maxime in his locis quae prae ceteris florent industria et artibus ac maiore opificum frequentia celebrantur.

*Germani
Antistites
hujus veri-
tatis plane
consci,*

*ad laborent
certatim ut
greges ad
normam
Christi vi-
tam de-
gant,*

*ut servatis
justitia et
caritate,
molestiae
inopibus
minuan-
tur, diviti-
bus frater-
nus animus
acuatur.*

*Germano-
rum zelus
et opera
laudantur;*

*qua opta-
tur ut fo-
veantur et
crescant.*

Sed et eruditioni barbarorum sollicita est Ecclesia,

Si haec ita, uti optamus, evenerint, sane gratulandum erit Germaniae pastoribus quod et publicae tranquillitati pro virili parte prospexerint et verae humanitatis, quae civilem vitam decet, caussam susceperint. — Verum non in hoc genere tantum humanitatis caussam tueri solet Ecclesia : alia quoque sunt quae salutarem eius opem postulant.

Scilicet illus est institutum sanctissimum ut barbaros rudesque populos doctrina fidei erudiens humanitatis artibus simul expoliat moribusque civilibus excolat. Eximii huius ministerii studio plures laboribus absumsere vitam, plures cum sanguine profuderunt. Sollicitat modo Ecclesiae pastores imprimis eorum conditio misera qui Africam incolentes in servitutem redacti venalis instar mercis mancipio dari et accipi solent turpi mercatorum quaestu. Quae Nobis huius rei cura sit, litteris Nostris aperte declaravimus. — Quum itaque constitutum sit ab Imperiali gubernio Germanico, ut ad eas regiones Africae, quas patronatus iure tuetur, aditus pateat sacerdotibus catholicis, qui sacras missiones obeunt, facere non possumus quin te aliasque Venerabiles Fratres, qui Germanici Imperii dioecesis praesunt, etiam atque etiam hortemur, ut inquiratis sedulo an in clero Germanico, qui egregia constantiae, patientiae et Apostolici zeli praebuit argumenta, aliqui videantur a Deo vocati ut afflictis illis Africæ gentibus lucem inferant Evangelii. — Quo facilius vero hi possint obsequi vocanti Deo, vehementer optamus ut, te imprimis curante aliisque Germanici Imperii Episcopis, collatisque fidelium studiis,

institutum condatur, quo clerici indigenæ rite comparentur ad sacras missiones in Africa obeundas, ad instar collegii in Belgico regno constituti, in quod ii recipiuntur qui evangelicum praecconium in regione Congi facturi sunt. Hoc pacto in promptu mox erit quasi nobile quoddam plantarium, unde excerpti palmites verae Vitis quae Christus est, et in Africam terram translati fructum plurimum afferent, ac feras inter gentes barbariae foedas et peccatorum sordibus bonum Christi odorem effundent. — Quamobrem Nobis pergratum facies, Venerabilis Frater, si de iis quae per has litteras significavimus alios Germanici Imperii Episcopos


certiores fieri cures, unaque omnes collatis consiliis viribusque connitamini, ut ea prospere perficiantur quae cum pro civibus vestris tum pro miseris Afris peragenda tibi enixe commendavimus. Cumque eo felicior futura sit operis effectio, quo plenior fuerit consensio vestra, supplices a Deo petimus ut, hanc concordiam fovens propitius, vobis adsit ope consilioque suo, eiusque divini favoris auspicem Apostolicam benedictionem tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Aprilis 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

APRIL.
1890.

*Collatis
consiliis
Germano-
rum Antis-
titum hoc
argumen-
tum instan-
ter com-
mendatur.*

LEO PP. XIII.



ALLOCUTIO

ad cives Italos magna frequentia ad patrem
convolantes.

DE OFFICIIS ITALORUM CATHOLI- CORUM.

20.
APRIL.
1890.

*Amoris
signa ab
Italis ac-
cepta gra-
tissima sibi
Pontifex
declarat.*

*Mæstus
enumerat
mala Eccle-
siam in
Italia op-
primentia
vel ei mini-
tantia.*

LA vostra presenza e le vostre parole, figli carissimi, Ci sono di vera consolazione e di sensibilissimo conforto. — Le manifestazioni cattoliche degl' italiani hanno ai Nostri occhi un valore speciale per i singolari vincoli che li legano al Romano Pontefice e più per le difficili condizioni in cui li pone l'attuale dissidio tra l'Italia ufficiale e il Papato, e l'attitudine ostile da quella presa contro di questo.

Tra le gravi sollecitudini dell'Apostolico officio che steniamo, una delle più amare e pungenti è quella che riguarda le condizioni della Chiesa in Italia, la religione e la fede del popolo italiano. E se sempre abbiam dovuto segnalare i pericoli che la minacciano, questa volta abbiamo tanto più giusta ragione di farlo, quanto i pericoli da qualche tempo sono addivenuti maggiori. — I fatti parlano da sè. La guerra, che per odio satanico le sètte muovono alla religione cattolica, qui è apertamente sostenuta dai pubblici poteri, i quali si sono pubblicamente schierati dalla loro parte. Le leggi, gli atti che d'appresso o da lontano tocchino la Chiesa e la religione, qui si fanno sotto l'ispirazione diretta delle sètte, alle quali tutto obbedisce. Si tocca infatti con mano, che gli atti del pubblico potere nella politica ecclesiastica rispondono pienamente alle aspirazioni e ai rei disegni settarî, che omai non sono più un mistero per nessuno. Basta ricordare gli articoli del nuovo codice contro il clero, gli scandali del Giugno ultimo, il discorso di Palermo, la legge proposta sulle Opere Pie e le altre che si vanno preparando. È la continuazione della guerra cominciata colla distruzione della sovranità civile dei Pontefici, e

che lungo il cammino si è sempre meglio appalesata quale negl' intendimenti degli agitatori era fin dalle prime, guerra ad oltranza e senza tregua alla religione e alla Chiesa di GESÙ CRISTO.

Di fronte a questo stato di cose, ai cattolici italiani s'impone il dovere di mostrarsi quali sono a viso aperto, e di tutto affrontare e sostenere per conservare il tesoro inestimabile della fede. Non possono esservi oggi che due campi nettamente tracciati ; il campo dei cattolici risoluti di star sempre uniti coi Vescovi e col Papa a qualunque costo, e il campo nemico che li combatte. Quei che per viltà temono di mostrarsi, ed amano di stare infra due, con ciò stesso, secondo la divina parola, vanno ad ingrossare le file nemiche.

Noi pertanto non possiamo non felicitarvi sinceramente, figli carissimi, e non apprezzare come conviene il vostro omaggio, la professione aperta della vostra fede, le proteste della vostra perfetta unione con Noi. — Con ciò voi complete non solamente un sacro dovere di religione, ma date altresì prova di essere gli amici più sinceri del vostro paese. Sappiamo che vi è chi per questo vi accusa di esserne i nemici ; ma se a fatti deve giudicarsi tra voi e i vostri accusatori, guardate quali servigi rendano all'Italia essi che pretendono di esser soli ad amarla. La religione, primo bene, tesoro anzi d'immensi beni, come per gl'individui così per gli Stati, senza la quale crollano le fondamenta dell'umana società, fanno di tutto per sradicarla dal cuore degli italiani. I buoni e sani costumi, dalla cui purezza in gran parte dipende la prosperità delle famiglie e la forza delle nazioni, si corrompono profondamente di giorno in giorno, coll' indebolirsi del sentimento religioso, che ne è l'anima e il sostegno : e se a ciò si aggiungono le tante e sì potenti cause di pervertimento in ogni genere di licenza, vi è veramente da rimanere sgomenti delle generazioni avvenire. — Non parliamo del benessere e della floridezza materiale, giacchè tutti veggono a quale misera condizione sia ridotta.

Or dunque domandiamo Noi : chi è che più e meglio ama

*20
APRILIS
1890.*

*Ingrave-
scente bello
catholici
Itali stren-
ue partes
Ecclesia
tueantur.*

*Gratula-
tur peregr-
nantibus.*

*Religio-
nem tulan-
do optime
inserviunt
patriæ.*

*Ubi sint
veri Italiae
amici ostendit.*


l'Italia ? Chi la vuole religiosa, costumata, florida e benedetta da Dio ; o chi tenta rapirle tutte queste sorgenti di benedizioni e di prosperità ? Chi la vuole in pace col Pontefice e colla Chiesa e per ciò stesso amata e rispettata al di fuori ; o chi ama di fomentare nel suo seno il dissidio più funesto, che ne indebolisce le forze e l'espone del continuo da parte dei nemici ai più gravi pericoli ? Chi la vuole fedele a Dio e alla religione degli avi, o chi la dà in balia delle sètte, la cui malefica influenza finisce per isfrenare le passioni delle moltitudini e lasciare la società senza difesa, contro tanti elementi sovversivi che prevalgono ? A chi ha senno la risposta.

*Quare Ita-
li fideles,
consiliis
super a se
datis obtem-
perent, ve-
nerabilem
Luxago
imitati.*

*Liberatam
S. Sedis
strenue
vindicent.*

Perciò voi, figli carissimi, stringetevi sempre più alla Chiesa e al Papa, guidati dai due più nobili amori di religione e di patria. — I doveri che, non ha guari abbiamo ricordato ed inculcato a tutti i cattolici — cioè l'amor della Chiesa, l'attaccamento alla fede, il coraggio di professarla e di difenderla, l'unione con Noi e coll'episcopato, la concordia di sentimenti e di azione tra di loro, l'educazione cristiana dei figli, — in questa solenne circostanza li ricordiamo ed inculchiamo di nuovo a voi, che siete più vicini di tutti a questa Sede Apostolica e più particolari obblighi avete verso di essa. Adempiteli con costante fedeltà, in ossequio al romano Pontefice e in obbedienza alla Chiesa ; ispirandovi ai nobili esempi lasciati dal Ven. Luxago da voi ricordato, e da tanti altri eroi di cui l'Italia per divina mercè fu sempre madre feconda. — Vi sia da ultimo grandemente a cuore la Nostra libertà e l'indipendenza vera, che Noi reclamiamo e reclameremo sempre per il Nostro Apostolico officio, e la cui tutela è riposta in una vera e reale sovranità.

Queste Nostre parole, figli diletti, scolpite profondamente nei vostri cuori, riportate e diffondete ne' vostri paesi. E riportate pure l'Apostolica benedizione, che con vera effusione di paterno affetto impartiamo a voi tutti qui presenti, ai vostri circoli, alle vostre famiglie, a tutti i cattolici italiani.



ALLOCUTIO

ad fideles Germanos Romam peregrinantes.

8
MAI 1890.

Pontifex
laudes cele-
brat Grego-
rii magni,

TIQUE feliciter contigit, quod modo vos, dilecti filii, significabatis, ut in hunc annum incideret vestra ad urbem peregrinatio; quo anno singulares habentur honores Pontifici ex Anicia gente sanctissimo, quem concordi sententia magnum appellavere saecula. Quis enim grata posterorum recordatione Gregorio dignior? Is est, qui aevo infausto, in ipso romanae magnitudinis interitu fere unus illuxit, laudatissimis romanorum non impar: in eiusque meritis est hoc sane insigne et memorandum maxime, virtute animoque excelsa perfecisse, ut ab illa perturbatione Italiae rerumque tam formidoloso discrimine, christiana gentium humanitas velut e maximo naufragio sospes emerget, et ad nova incrementa properaret. — Varias inde tempestates et rerum conversiones adduxit dies; verumtamen tanti beneficia operis, non eius saeculi nec unius regionis circumscripta finibus, ad consequentes aetates latissime manarunt; idque eorum potissimum ministerio, ad quos, veluti per manus tradita, pontificalis dignitatis pervenit hereditas. Revera, saeculorum decursu, in iis custodiendis propagandisque rebus, quas Gregorius per laborem plurimum incolumes servarat, quaeque cum integritate religionis tuentur veri nominis humanitatem, nullo tempore cura et vigilantia defuit Pontificum romanorum: quorum opportunitatem virtutemque praesidii nominatim sensit Europa, quotiescumque relapsa in offensestesque casus, quos historiae monumenta prodidere.

Haec omnia si aequis ponderibus homines expenderent, si vim naturamque Ecclesiae pacato iudicio considerarent, silere iussis suspicionibus variisque cupiditatibus, quae adulterant iudicium veri, profecto contumax odium et sumpta contra Ecclesiam arma facile quiescerent. Nam si spes utilitatis vel sola quaeratur, quaenam sapientia est uberrima-

cujus operis
haeredes
sunt Ponti-
fices Roma-
ni.


Munus
hoc saluti-
ferum re-
pudiari ab
hominibus
queritur.

mum beneficiorum fontem voluntate repudiare? Siquidem, uti saepe monuimus, vehementer errant qui, spreto praeteritorum temporum testimonio, ad prosperitatem imperiorum et civitatum magnas habere Ecclesiam opportunitates negant. Nec sane dubitandum, multa atque idonea in praesentibus malis adfutura remedia, si divina Ecclesiae virtus posset in privatos populosque, amotis impedimentis, influere. — Verum ad vos quod spectat, dilecti filii, est nunc quidem quod vobis laetemur: habet enim Germania vestra quo sedare diuturnos illos metus et sollicitudines pristinas possimus. Nimirum ex iis opinionibus et infensis legibus, quae dimicationem genuerant, fieri quaedam ad veriores sententias inclinatio visa est. Consilia ipsa multis partibus pacifica, quae per hos postremos praevaluere annos, eodem existimamus progressura cursu, ut Ecclesiae liceat a praeteritis calamitatibus penitus respirare. Nihilominus minime desistimus respicere vos, dilecti filii: atque in his ipsis difficultatibus, quae Nos obsident domi, nihil cura studioque maiore vel expetimus vel laboramus, quam ut in Germaniae finibus tranquilla Ecclesiae libertas cum securitate salva sit. Sperare, quae cupimus, plures caussae iubent: celsitudo animi atque aequitas serenissimi Imperatoris: constantia virorum, qui praesertim in legumlatorum, coetu pro iuribus Ecclesiae diu et strenue contendunt: concordia omnium, quotquot estis in Germania catholici.

*Sperat
mox apud
ipsos plen-
nam Eccle-
siæ liberta-
tem futu-
ram.*

*Laudat
pietatem
peregrino-
rum, eisque
benedicit.*

Nos interim a conspectu et egregia voluntate vestra suave percipimus solatium, idque tanto magis et optatum et opportunum, quanto Nos acerbiora premunt in tam diuturna iurium Apostolicae Sedis violatione. Itaque gratum vobis animum profitemur paterna cum benevolentia coniunctum, atque auspicem divinorum munierum vobis et familiis vestris, cunctisque e Germania catholicis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE FESTO S. JOSEPHI IN LUSITANIA
REGIONIBUSQUE
EI SUBIECTIS RESTITUENDO.

JUNII
1890.

*Pontifex
litteratur en-
cyclicas su-
as litteras
de cultu S.
Josephi in
Lusitania
tulisse fru-
ctum.*

TSI apud nobilissimam Lusitanorum gentem de catholica fide optime meritam amor et studium erga immaculatum Deiparae Virginis Sponsum constans atque ardens semper extitit, non sumus tamen nescii encyclicas litteras Nostras, quibus proximo anno universi orbis christianos ad implorandum sanctissimi Patriarchae patrocinium cohortati sumus, non mediocre illorum pietati attulisse incrementum. Id quidem praeclare testantur vel supplices litterae, quas Lusitani Antistites nuper ad Nos dederunt, ut rei, quae iamdudum in communib[us] erat Lusitanorum votis, optatus tandem per Nos exitus contigeret. Quum enim ob adversas temporum vices dies Sancti Iosephi memoriae recolendae sacer e festorum numero apud Lusitanos sublatu[us] esset, integra vero et incolu[m]is maneret in eorum animis avita pietas, nihil optabant magis, quam ut ille dies ad observantiam et cultum veterem revocaretur. Quapropter Lusitani Antistites, populi votorum interpretes, certi aliunde Praepositos Lusitaniae gubernio pio huiusmodi desiderio non obstituros, communes ad Nos preces admoverunt, ut quemadmodum nuperrime cum Hispanis, quibus Lusitani non sunt in Sanctum Iosephum amore secundi, diem eius memoriae sacrum in festos apud eos referri velimus. Praeclarum quidem hoc est pietatis documentum, quod ad alia vetera accedit, quae Lusitani Episcopi Nobis iure commendant. Nulli enim coelitum post magnam Dei matrem, qua late patet Lusitania tot honores, quot huic sancto Patriarchae tribuuntur, vel tot vota nuncupantur : sodalitates quamplures ipsius et fretae sunt patrocinio et laetae nomine : viri laudabili pietatis consuetudine diem undevigesimam mensis Martii sponte eligunt, qua Pascha agant : opifices vero Sanctum Iosephum iure

*Votis An-
tistitum et
populorum
obsecun-
dans, jes-
tum almi
Patriarchae
antiquo ju-
ri restituit,
intuitucul-
lus specialis
quo a Lusi-
tanis hono-
ratur, ubi-
risque boni
inade ori-
turi.*

quodam suo caelestem sibi Patronum adsciscunt non operis, non laboris ignarum; sacra denique ipsi dies in aliquot praesertim dioecesis singulare veneratione recolitur, tanquam festa sit constituta. Quibus omnibus e rebus Nos Lusitanorum votis annuendum censuimus, eoque libentius, quod summa pietate immaculatum Dei Genitricis Sponsum observamus et colimus, magnamque in fide tutelaque eius spem repositam habemus. Neque enim sumus dubii quin ipse, qui nascentis Ecclesiae tutor a Deo est quondam constitutus, nunc eam laborantem auxiliumque petentem volens propitius respiciat e coelis validoque patrocinio tueatur. Quod autem Sancti Iosephi cultus provehatur quotidie magis et augeatur pietas, id quidem spes certa est fore gratum acceptumque Immaculatae Dei Matri Mariae, cuius demereri gratiam hanc etiam ob caussam valde confidimus. Quapropter supradictis Lusitanorum precibus et votis benigne obsecundare volentes, moti suffragiis Lusitaniae Antistitum, Apostolica auctoritate Nostra, harum litterarum vi praecipimus, decernimus, ut dies undevigesima mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Iosephi recolenda sacra per totam Lusitaniam et per regiones Lusitanorum ditioni ac potestati subiectas in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea christiani omnes, quum sancto Missae sacrificio adesse, tum ab iis profanis operibus, quae servilia dici solent, abstinere pracepto debent, quo caelesti Ecclesiae Patrono meritum tribuatur honoris et obsequii officium et firmissimo eius patrocinio universa illa natio largius persruatur. Non obstantibus quamvis speciali, individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibetur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

*Sit igitur,
ut olim,
dies 21
martii per
Lusitani-
am regio-
nesque ei
subjectas
festum de
praecepto.*

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 3 Iunii 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

EPISTOLA

ad Petrum Iosephum Episcopum

Viglevanensem.

GRAVITER molesteque tulumus allatum Nobis nuncium de gravi contumelia tibi irrogata, quum propter sacri muneris tui perfunctionem coram laico magistratu quaestioni obnoxius fuisti, quae de suspectis criminis haberi solet. Dolor autem, quem tua caussa cepimus, eo fuit acerbior quod episcopalis dignitas in te laederetur et novum suppeteret, triste satis, indicium dirae insectationis, qua in Italia conflictatur Ecclesia. — Lenit tamen aegritudinem Nostram cogitatio effectuum, quos necesse est oriri ex huiusmodi vexatione adversos conciliis hominum qui eam intulerunt. Quo enim explorator fit iniusta vis, qua saevit in Ecclesiam civilis potestas, quae ipsa conscientiae arcana contendit accensere ditioni suae metuque poenarum deterrere ab officio dispensatores mysteriorum Dei, eo liquet apertius quam impudens mendacium sit, quo religionis hostes sese iustae libertatis iactant adsertores, et quam irritus eorum conatus ut sanctae militiae Christi proditores faciant qui sese illi addixere.

Hi enim, Deo opitulante, neque minis cedent neque ab officio descissent, novam imo e nobili certamine adepti gloriam gestient, Apostolorum instar, quippe eo nomine quod Deo paruerint digni habitu sint contumeliam pati.

Macte igitur animo, Venerabilis Frater, Nosque tibi gratulari sinito pro sacerdotali zelo et constantia qua pastorale ministerium obis: quam strenue iniisti viam ea pergit alacriter, neve molestias reformides quas tibi forte vis et nequitia hominum adhuc erit allatura. Erigant te veterum exempla fidelium de quibus illud traditum est « *quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit:* » erigat spes mercedis amplissimae manentis eos qui

JUN³
1890.

*Dolet Pon-
tifex de
gravi inju-
ria præsuli
Vigle-
vanensi a
potestate
laïca irro-
gatd.*

*Eamdem
tamen Ec-
clesiae pro-
futuram
sperat, con-
cilia im-
piorum
reserando.*


*Hortatur
Episcopum,
ut, priorum
temporum
memor, a-
nimō in-
concusso
stet.*

56 EPISTOLA " GRAVITER MOLESTEQUE TULIMUS ,

« certamen sustinuerunt propter nomen Christi et non defecerunt. » Tibique adiutricis gratiae Dei sit Apostolica benedictio, quam Nostri in te animi testem tibi, clero et populo dioecesis cui praeceps peramanter impertiimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 13 Iunii 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



ALLOCUTIO

ad S. R. E. Cardinales.

DE CONFIRMANDA ELECTIONE PATRIAR- CHAE MARONITARUM ANTIOCHENI.

PIORES curas Nostras hodierna die sibi merito vindicat inclita catholici nominis natio, quae Montem Libanum tenet, profanis clarum litteris, divinisque saepe celebratum carminibus; ipsa loci amoenitate, et caeli solique clementia insignem. Regionis decus augent illustri nomine civitates, montis radicibus adiacentes, pietatis ac religionis monumenta et domicilia passim magno numero extracta, incolarum frequentia alte- que in iis insitus loci amor, in quo scilicet eorum maiores catholicae religioni securum tutumque perfugium calamitatis temporibus invenerunt. — Libanum late Maronitae incident mollioribus fusi iugis; illic patriarchalis regiminis sedem habent; gens factis clara quae olim S. Ludovico Galliae Regi in Saracenos inferenti signa, sumptis armis strenuam operam contulit; at constantia nobilior qua catholicam fidem inter plura discrimina laboresque integrum atque illibatam servavit.

In hac gente contigit Aprili mense proxime elapso ut Patriarchalis Antiochena sedes ob interitum Venerabilis Fratris Pauli Petri Massad, pastoris sui praesidio viduaretur. — Iustis Patriarchae extincto exsolutis, Maronitarum Episcopi die 28 eiusdem mensis, successoris eius diligendi caussa, communem conventum habuere. In eo concordissimis animis plenoque consensu, Venerabilem Fratrem Iohannem Hagg Archiepiscopum Heliopolitanum Maronitarum, virum prudentiae laude spectatum, qui in curandis Ecclesiae rebus sedulam operam extincto Patriarchae navaverat, Antiochenum Maronitarum Patriarcham renunciarunt. Deinde, ut par erat, suffragatores Episcopi et Patriarcha ab ipsis electus, suas ad hanc Apostolicam Sedem dedere litteras rei gestae nuncias, a Nobis flagitantes, ut electionem ipsam

23
JUNII
1890.

*Pontifex
celebrat na-
tionem que
Montem
Libanum
tenet.*

*Narrat
electionem
novi An-
tiocheni
Maronita-
rum Pa-
triarchæ.*

*Postulan-
tibus Epi-
scopis atque
ipso electo,
de sententia
Consilii fi-
dei propa-
ganda.*

*electionem
sanandam
proban-
damque
censem, ele-
ctumque
pallio ac-
corandum;*

*deinceps
prescripta
synodi Li-
banensis
1736 melius
servanda.*

Apostolica auctoritate Nostra probare et confirmare velle-
mus. Cum rem omnem, ex more, Consilio Nostro fidei pro-
pagandae negotiis ritus orientalis praeposito cognoscendam
detulissetsemus, idem Consilium tota rei gestae ratione per-
pensa, supplicandum Nobis censuit, ut sanatis, quatenus
opus sit, quibusque vitiis quae in ipsam electionem incidere
potuerint, Maronitarum Antistitum precibus annueremus.
— Paterna caritas, qua Maronitarum gentem prosequimur,
facit, ut libenter iis auctoritate Nostra praesto simus: et
cum summopere Nobis cordi sit Maroniticae ecclesiae
prosperitas, mandata, hac occasione, dedimus memorato
Consilio Nostro negotiis ritus orientalis praeposito, ut ea
decernat ac statuat quae eo pertinent, ut ecclesiastica dis-
ciplina ad praescripta Synodi Libanensis anno 1736 habitae,
accuratius pleniusque servetur. Nunc autem firma fiducia
freti fore, ut Patriarcha delectus, quo maiore dignitate
praefulget, eo impensius de religione et ecclesia apud
Maroniticam gentem sua vigilantia, opera, sollicitudine
mereri studeat, eius electionem seu postulationem ad
Patriarchatum Antiochenum Maronitarum probandam
ratamque habendam existimavimus, eumdemque Venera-
bilem Fratrem in luculentius dilectionis Nostrae testimo-
nium, sacro pallio de corpore B. Petri sumpto, ut postulat,
decorandum censuimus.

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum
Petri et Pauli, et Nostra, electionem seu postulationem a
Venerabilibus Fratribus Episcopis Maronitis factam de
persona Venerabilis Fratris Ioannis Petri Hagg, sanatis
quatenus opus sit quibusque vitiis quae electioni ipsi potue-
rint officere, probamus ratamque habemus, eumque solven-
tes a vinculo, quo ecclesiae Heliopolitanae Maronitarum
obstringitur, ad Patriarchalem Antiochenam ecclesiam
Maronitarum, cum omnibus privilegiis, quibus decessores
eius ab hac Apostolica Sede ornari consuevere, evehimus et
promovemus, et Patriarcham ac Pastorem Maronitarum
fidelium, uti in decreto ac schedula consistorialibus signifi-

cabitur, constituimus ac declaramus, contrariis quibuscumque non obstantibus. In Nomine Patris ☩ et Filii ☩ et Spiritus ☩ Sancti. Amen.

His igitur, quae ad orientalem ecclesiam pertinent, rite peractis, propositum est amplissimi vestri Ordinis honorem deferre praestantibus quatuor viris, qui sive in episcopali ministerio gerendo, sive in negotiis huius Apostolicae Sedis agendis, integritatem, fidem, prudentiam, studiosamque in Ecclesiam voluntatem, Nobis constanter probarunt.

Hi autem sunt : **VINCENTIUS VANNUTELLI**, Archiepiscopus Tit. Sardianus, apud Lusitaniae et Algarbiorum Regem Fidelissimum ordinarii Nuntii Nostri munere perfunctus, quem S. R. E. Cardinalem creavimus et in pectore reservavimus in Consistorio habito die 30 Decembris anno 1889 : item **SEBASTIANUS GALEATI**, Archiepiscopus Ravennatus : **GASPAR MERMILLOD**, Episcopus Lausanensis et Genevensis : **ALBINUS DUNAJEWSKI**, Episcopus Cracoviensis.

Quid Vobis videtur ?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, publicamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem

VINCENTIUM VANNUTELLI.

Insuper creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros
Cardinales

SEBASTIANUM GALEATI
GASPAREM MERMILLOD
ALBINUM DUNAJEWSKI

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris ☩ et Filii ☩ et Spiritus ☩ Sancti. Amen.

*JUNII
1890.*

*Tres novi
cardinales
creantur.*

EPISTOLA

ad Patriarcham Ciliciae et Episcopos armenii

ritus Rom. Sed. conjunctos.

DE PROXIME HABENDO PATRIARCHALI

ARMEN. SYNODO.

29
JUNII
1890.

Zelum
suum pro
illustri Ar-
menorum
Ecclesia
Pontifex
testatur.

Lætatur
de proximo
habendo sy-
nodo patri-
archali.

Fructus
ab eo spe-
randos de-
scribit.

ARMENIAM gentem, quae catholicae veritati ac doctrinae pronas aures praebere consuevit, atque ad eam constanter retinendam multa pati, cum opus fuit, non dubitavit, romani Pontifices singulari semper benevolentia prosecuti sunt multisque beneficiis cumulaverunt. Quorum vestigia persequentes nunquam passi sumus desiderari ab ea paternae Nostrae charitatis argumenta : qua in re vos ipsos testes habemus, Venerabiles Fratres, qui probe nostis, quantas Nos ipsi, vel mandantibus Nobis Congregatio Nostra fidei propagandae pro negotiis ritus orientalis, Armeniis dederimus benignitatis atque indulgentiae significationes. Hinc cum nihil Nobis antiquius sit quam ut istius patriarchatus religiosae res maiora in dies sumant incrementa, gratum Nobis fuit accipere vos iam in eo esse ut in patriarchalem synodus conveniatis ac venerabilem fratrem patriarcham, datis nuperrime litteris ad memoratae Congregationis Cardinalium Praefectum, scripsisse velle se sperare eamdem synodum valde profuturam ad roborandam ecclesiae Armeniae cum Apostolica Sede coniunctionem, a qua sola, ut ipsem ait, habere illa potest vim ac robur nedum se explicandi verum et vivendi. — Revera ab Episcopis simul convenientibus, ut ad gloriam Dei animarumque salutem procurandam salubria et opportuna ineant consilia, plurimum utilitatis Ecclesia merito praestolatur. Si enim, quod aperte docuit Christus Dominus, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine Eius in medio eorum Ipse est, multo magis sua gratia fulcire non dubitandum Episcopos qui in nomine Eius congregati studiose inquirant, religiose decernant

quae ad catholicam doctrinam et unitatem latius propagandam, ad errores profligandos, ad restituendam, ubi collapsa sit, ecclesiasticam disciplinam, ad mores corrigendos, ad procurandam ubi opus est, pacem animorumque concordiam pertinent. In haec omnes curas vestras fore impendendas non dubitamus, Venerabiles Fratres, et spem habemus omnia, opitulante Deo, prospere cessura.

Quamobrem non satis commendare possumus, ut quae a Nostris praedecessoribus vel a Nobis et etiam a memoriata Nostra Congregatione pro isto patriarchatu statuta sunt prae oculis habeatis et servari curetis. Praesertim vero synodalibus sanctionibus decernere satagite, ut fideles vestrae curae concreditи caelestis doctrinae pabulo saepe saepius nutriantur per catechesim sanctique Christi evangelii explicationem, diebus praesertim dominicis et festis solemnibus in ecclesiis tradendam per parochos aliosque sacerdotes a vobis probandos.

Quo autem omnia rite et e sententia fiant, tum sarta tecta perstet unicuique vestrum canonica in synodo libertas, quae ceteroquin normam accipiet ab instructionibus per memoratam Congregationem datis, et ab omnibus accurate servandis; tum acta ac decreta synodi ad eamdem Congregationem mittantur auctoritate Nostra expendenda et diiudicanda.

Quod superest, Venerabiles Fratres, ministerium vestrum implete; laborate ut boni milites Christi, ut soli p'aceatis, cui vos probastis, Deo scilicet et Ecclesiae, ideoque idem sapiatis eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, animumque Nostrum tot undique presum sollicitudinibus consolamini, vestram Nobis fidem ac devotionem comprobantes.

Cum vero neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, ipsum enixe ad precamini et ab omnibus fidelibus exorandum curate, conciliatoribus exhibitis praeprimis immaculata Dei genitrice Maria, scinde insigni vestro patrono Christique glorioso martyre Gregorio Illuminatore. — Nos etiam in humilitate cordis Nostri Deum enixe precari non desinemus, ut vobis lar-

*29
JUNII
1890.*

*Monita
principia
conventuris
dat.*


*Zelum
Episcopo-
rum Arme-
niæ stimu-
lat.*

*Omnia ab
oratione
expectanda.*

giatur spiritum consilii et fortitudinis, ut exemplo, dictis ac decretis vestris glorificetis Deum et Patrem Domini Nostri IESU CHRISTI. A quo omnia vobis bona adprecantes, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque sacerdotibus et monachis, universisque Armenii Ciliciae patriarchatus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Iunii 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



LITTERAE APOSTOLICAE.

DE COLLEGIO SCRIPTORUM COMMEN- TARIORUM " LA CIVILTA CATTOLICA ".

APIENTI consilio decessor Noster fel. record.

SPIUS IX per litteras die 12 Februarii anno 1866 datas eorum e Societate Iesu sodalium, qui commentarios « la Civiltà Cattolica » conficiendos edendosque suscepserant, collegium singulare constituit iis ipsis legibus ac privilegiis quibus cetera Societatis Iesu collegia utuntur. Impertiit enim ingenio doctrinaeque perhonosum testimonium : simulque, futura prospiciens, illum eruditorum hominum coetum, cuius opportunam atque utillem operam multos iam annos experiendo cognoverati auctoritatis Suae accessione stabilius fundavit. Illud autem hac in re propositum Pontifici praecipuum fuit, ut lecti scriptores vitae studiorumque societate coniuncti catholicam religionem et iura Sedis Apostolicae scriptis suis tuerentur, pro veritate contenderent, opinionum errores refutarent. Neque vero fefellerit expectationem exitus : siquidem eius collegii sodales studium veritatis et amorem iustitiae scribendo secuti sunt, variisque ingenii monumentis clarum sibi nomen peperere. Nos quidem haec reputantes et admittendum summa ope rati, ut scriptores, quos diximus, una elaborare, beneque de caussis optimis mereri perseverent, nonnulla quae ad perennitatem prosperitatemque collegii visa sunt interesse, statuenda ac praecipienda censimus. Nimirum his litteris nostris confirmamus rataque esse omnia volumus, quae Pius IX hac in re constituit et decrevit : nominatim vero declaramus collegium scriptorum, de quo agimus in potestate immediata Praepositi Societatis IESU esse, perpetuoque futurum. Item Praeposito esse integrum, potestatis sua destinaric vicarium, qui collegio rite praesit, in primisque curet ut disciplina ratioque instituti inviolate servetur. Sodales in ea ipsa versari varietate materiae, quam vel a principio sumpsere, collatis inter se consiliis, sedulo pergant : in litteris, in historia, in phisi-

8
JULII
1890.

Scriptores
" Civiltà
cattolica "
a Pio IX in
collegium
constitutos
Pontifex
recolit.


Fructus
inde perce-
ptos pro-
bans, con-
firmat idem
collegium.
illudque
immediate
Praeposito
S. J. subesse
vult.

Rationem
studiorum
ipsi pre-
scribit.

cis, ex iisque rebus quae ad elegantiam doctrinae artiumque optimarum incrementa pertinent, nullam a studiis suis alienam putent. Sed eorum esse singulare munus institutumque debet, romani Pontificatus iura defendere, philosophiae se ac theologiae dedere, idque hac sibi velut lege imposita, ut Thomam Aquinatem sequantur in utraque facultate ducem, eiusque doctrinam praecipuo quodam studio colant, tueantur. Quapropter etsi non sumus ignari huiuscce eos esse iam compotes laudis, ut in Angelici, Doctoris sectatoribus ingeniosis et strenuis numerentur, volumus tamen ut, quod alacres sua sponte faciunt, idein facere suasu iussuque Nostro pergent alacriores. Quod ad fructus annuos spectat, quos scriptorum attulerit industria, praecipimus ut ex eis summa, seu patrimonium conficiatur, cuius redditus in tuitionem et amplificationem collegii, in conservationem aedium, rationesque operis universas addicantur. Eiusmodi deductis sumptibus, sepositoque quod suppetat in sumptus fortuitos, si quid praeterea redundaverit, volumus ut inde, auctore Praeposito generali, quamdiu temporum calamitas postulaverit, provinciis e societate italicis, quas in suppeditandis huic collegio idoneis scriptoribus liberales esse oportet, subsidia conferantur, aliaque pro rerum ac temporum conditione iuentur opera, quae ad gloriam Dei, ad proximorum salutem pertineant, quaeque ab instituto collegii non sint aliena. Haec volumus, statuimus, declaramus decernentes has litteras, Nostras firmas, ratas, efficaces uti sunt, ita in posterum permansuras, et irritum atque inane esse, si quid a quoquam contra eas contigerit attentari, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 8 Iulii 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.



EPISTOLA

ad Cardinalem Lavigerie

DE CULTU HUMANIORE AFRICAE.

MIRIFICE delectati sumus litteris quas adiunctas misisti orationi, gravi sane et flexanimae, qua die natali Principum Apostolorum alloquutuses missionariorum Algeriensium agmen, quod in penitiores Africæ partes erat profectum. Eo suavius autem ea scriptio affecti sumus quo clarius liquebat in melius progredi, licet inter magnas asperitates rerum, opus eorum qui humaniore cultu Africæ gentes expolire contendunt; quod opus, ceu probe nosti, singulari favore complectimur et parati sumus adiuvare pro viribus. — Quare plurimas habemus gratias providentiae summi Dei, quae cum magnanimos excitat lectosque viros, qui sese huic nobili operi addicunt, tum evangelico eorum ministerio virtutem dat et incrementa cum laeta fructuum ubertate. — Illustria plane et auditu iucunda sunt haec missionariorum studia, qui primaevos evangelii praecones aemulantes petere gestiunt interioris Africæ latebras inexploratas, queis nulla lux adhuc affulsit, ut eas collustrent lumine revelationis gloriae IESU CHRISTI; ast illud iucundius quod Principes barbararum gentium prompte fidem christianam amplexi supplices poscant auctiorem operariorum numerum, quo celerius in suis regionibus propagetur regnum Dei. — Dum vero in hisce divinae providentiae benefacta agnoscimus, non minus illam miramur in eo studio quo rectores populorum, qui in Europa sunt, validis, quibus pollent viribus, humanitatis caussam tueri contendunt in Africa. Insigne huius studii argumentum praebuit solemnis conventus nuper Bruxellis habitus in quo iidem rectores per legatos suos caussae illius, cui favemus tantopere, suscepere patrocinium. Ibi enim summo coëuntium consensu ea sunt constituta quae maxime conferre videbantur ad avertendam perniciem, quae Africæ infertur ex cupiditate complu-

17
JULII
1890.

Lætatur
Pontifex
per missio-
narios Al-
gerienses
Africæ cul-
tum progre-
di.

Laudat
intrepidos
viros, nec-
non princi-
pes barba-
ros ipsis fa-
ventes.

Laudat
insuper ac-
ta in con-
ventu Bru-
xellensi,

rium, qui humano nomine indigni, saevitia et astu barbarico exercent Nigritarum commercium, qui et ipsi imaginem praeserunt Creatoris Dei, et communis naturae participes aequo iure cum ceteris hominibus censendi sunt. —

*cujus prae-
clara stu-
dia sibi spe-
cialissime
cordi esse
testatur.*

Praeclara haec studia virorum Principum, qui gentibus Europae praesunt, meritis laudibus gratae animi sensibus prosequimur ; proinde eorum consiliis cum faustos ac plenos adpreciamur exitus, tum obsecundare impense adnitemur, nec quidquam missum fiet a Nobis ut Africa universa iis utatur legibus moribusque, qui humani generis a Christo redempti dignitati respondeant.

*Sed im-
primis ut
augeatur
numerus
praconum
salutis o-
ptandum.*

*Verus
miles E-
vangelii de-
scribitur.*

Ceterum curas praecipuas eo conferamus oportet ut maxima sit frequentia virorum Apostolicorum, qui in eas regiones effundant evangelii lucem ; qua in re summo Nobis usui est singularis zelus tuus et sedulitas impigra. Namque etsi plures rationes ac praesidia suppetant, quorum cuique sua vis inest et opportunitas ad Afrorum victum excolendum, nihil tamen praestabilius magisque congruens huius incepti naturae et evangelii spiritui, quam copiosa immissio praconum veritatis, qui legionis instar impavidae aggrediantur opus, prout superioris experientia temporis edocet rerumque bene gestarum recens memoria. Scilicet Christi miles sacras obituras missiones nulla quaestus aut gloriae cupiditate illectus pergit, sed sola excitus voce appellantis Dei apteque eius gratia comparatus ut nullas timeat fortunae minas. Hic ea caritate incensus, qua urgebatur Filius Dei ut sese pro salute humani generis immolaret, domum ac patriam deserit, ut alio nullo occupatus affectu prae nobili et divino se addicat ministerio cui vires suas vitamque devoveat. Quare mirandum non est si heroica virtus virorum huiusmodi, qui appetitiones carnis assuevere spiritui subigere, ea valeat iterare prodigia per quae Spiritus Domini, docentibus Apostolis, renovavit faciem terrae, et in populos sedentes in tenebris effudit lumen fidei nunquam defectum. — Itaque vehementer optamus ac supplices a Deo petimus ut, saeviente licet improborum odio adversus clerum et religiosas sodalitates, quamplurimi existant Apostolici viri, qui acti spiritu Christi in Africam

terram late serant verbum Dei, illamque profuso rigatam sanguine, si opus sit, nedum sudore fecundent. Sane quibus in locis verendum redemptionis signum elatum fuerit, ibi cito iuxta lignum Crucis florebit civilis cultus omnesque politioris humanitatis artes. Neque vero ambigimus quin tu, dilecte fili Noster, hortatui Nostro obsequens tuique sacerdotalis animi motibus alaci studio et industria instare pergas huic operi, cui Nos decessorum Nostrorum exempla sequuti, quamvis pressi rebus adversis multisque obnoxii periculis, praecipuas adhibeimus curas Apostolici ministerii. — Demum te latere nolumus voluptatem quam cepimus audito consilio inito ab ea societate, quae Africanam servitutem oppugnat, ut certamen instituatur virorum ingenio et doctrina praestantium, in quo praemio donetur auctor operis quod aptius p[re]a ceteris censeatur effecturum, ut Nigritarum mancipatio et servitus humani generis odio et suffragiis damnata penitus deleatur. Hinc ultro tibi roganti annuimus ut in eo praemio tribuendo ita Nostri nominis mentio fiat, ut ea res Nobis probatissima apparet. — At vero quamvis omnis huiusmodi cura et industria multa sit laude digna, quippe eo spectet ut inflamentur hominum studia et consocientur voluntates ad inceptum peragendum aequa arduum ac salutare, summa tamen spes rei prospere gerendae locanda est in ope caelestis gratiae, quae eo praesentior operantibus aderit quo enixius et constantius effusis precibus exposcetur. — Auspicem interea divinae huius opis et paternae benevolentiae testem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, simulque clero et fidelibus tuae vigilantiac concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 17 Iulii 1890, Pontificatus Nostri anni decimo tertio.


JULII
1890.

Zelum
Cardinalis
Pontifex
stimulat.

Laudat
certamen
institutum,
in quo optimi
auctor
operis de
servitute ca-
gentis pre-
mio done-
tetur.

Prima
tamen spes
Pontifici in
caelesti ope,
cujus au-
spicem, su-
am benedi-
ctionem im-
pertit.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA
 ad Archiepiscopum Rhodiensem, Episcopum
 Melitensem,
QUA VINDICATUR CONVENTIO
CUM ANGLIA INITA.

17
JULII
1890.

Contumeliam Pastori factam esse queritur Pontifex,

atque documenta non vulganda, in publicum edita, populares animos turbae.

Melitensis populi laudat indolem, ingenium, recentia vota.

GRAVITER admodum molesteque tulumus, prout te iam docuit dilectus filius Noster Cardinalis a publicis negotiis administer, procacem quorum-dam Melitensium ephemeridum scriptorum licentiam, qui te, pastorem suum, indignis contumeliis impetere et hanc Apostolicam Sedem pari iniuriae genere laccessere ausi sunt. — Nec minus improbandi sunt ausus huiusmodi quod eorum petita fuerit occasio ex quibusdam documentis in vulgus editis, quae ad consilia spectabant ultro citroque collata circa negotia quaedam ecclesiastica istius insulae inter Sedem Apostolicam et Gubernium sere-nissimae Anglorum Reginae. Illud sane miserum quod opinaciones quaedam, utut a Nostris alienae, iis comprehensae litteris ansam praebere potuerint ad incendendos populares animos, qui eo facilius inflammari solent quo callidius iis faces verborum admovent homines nequam, quibus ea res expedit ad conflandam vulgi invidiam aduersus eos quibus precipuus habendus est honor. Plane eo intendit haec animorum concitatio ut corrumpat quod optimum est eaque discindat quae fuerant coniunctissima. — Novimus enim quanta in populo Melitensi sit suavitas ingenii et morum, quantum catholicae religionis studium quod iis magni gentium Apostoli praesentia et voce indicatum fuit, quanta nobilitas rerum a maioribus gestarum, quanta in hanc supremam veritatis cathedram observantia et fides. Quin etiam ex recentibus testimoniiis, quum sacerdotii Nostrri natalem quinquagesimum ageremus, perspecta habuimus summa erga Nos Melitensium studia et officia. Quare illos singulari caritate complectimur, et omni qua valemus ope non modo spiritualem illorum curare salutem contendimus, sed et rationibus civilibus favere quo prospexit.

rioribus rebus utantur. — At quo impensius eos diligimus eo dolemus acerbius dum versatur ob oculos imago hominis inimici, qui pietatem in patriam prae texens superseminat zizania tritico lectissimo, diffidentiam excitat, dissidia serit, factorum veritatem pervertit, recta hominum consilia male explicando detorquet in laevam partem, atque ita legitimae auctoritati Ecclesiae non modo debitum detrectat obsequium, sed etiam iniuriam infert, avertitque ab ea fidelium animos avita pietate addictissimos. — Porro haec de qua querimur calumnia et fraus inimici hominis satis in aprico erit si sedato animo respiciatur romanorum Pontificum in rebus agendis consuetudo, eaque expendantur quae nuper de Melitensibus negotiis inter Nos et Regium gubernium Britannicum convenere. Testatur historia Sanctam hanc Sedem in parandis atque ineundis conventionibus cum civili potestate jugiter populorum commodis et rationibus studuisse, quo factum est ut saepe in offensiones incurreret, simultates susciperet, discrimina obiret, irae potentium fieret obnoxia. Porro quoties de rebus agitur quae ad religionem pertinent, quarum, mandante Deo, tutelam gerit prae primis et iudicia exercet, nulla cupiditate aut studio rerum humanarum obscuratam mentem ad eas advertit illudque spectat unice quod gloria Dei postulet et animarum salus, quodque magis ad bonum publicum, ad gentium pacem et tranquillitatem expiat. Eodem et Nos spectavimus in conventione ineunda cum Britannico gubernio, qua nihil derogatum est de Ecclesiae iuribus et libertate, imo ea firmius adserta sunt et constituta. Dumtaxat quaedam ecclesiasticae disciplinae capita, usu iam recepta, accuratius definita sunt, utriusque supremae potestatis consensu, huius pactionis ope. Iamvero dum haec agentes ea quoque curaremus quae usui et decori erant futura ephebeo ecclesiastico Melitensi, ubi instituuntur Ecclesiae administri, quos lucem mundi et salem terrae esse iubet divina vocatio, Nos practerire non poterat quid ipsa posceret natura loci, quae incolas simul consociat Melitenses et Anglos. Scilicet e re Nobis visum est curare ut ampliore aptioreque cultura alumni expolian-

JULII
1890.

*Eo magis
damnanda
inimici ho-
minis insi-
dia.*

*Romani
Pontifices,
teste histo-
ria, bonum
populorum
semper pro-
curarunt,
praesertim
religiosum,
sibi com-
missum.*

*Conventio-
nem nuper
cum Bri-
tannico gu-
bernio ini-
tam ad sa-
num judi-
cium revo-
cat.*

tur, quo commodius et efficacius clerus iste tuus sacrum ministerium obire queat operamque conferre ad Meliten-sium aequa ac Anglorum salutem, non minus sacerdotii dignitate gravis quam auctoritate doctrinae. Id vero haud officit quominus impense studia excolantur patrii idiomatis aliarumque disciplinarum quae decent exornantque eccl-eiasticos viros.

*Cleri in-
stitutionem
ad mentem
S. Sedis
Præsuli
commen-
dat.*

*Cleri si-
milis, po-
pulus con-
cordiam di-
ligat, ma-
trem Eccle-
siam colat
atque de-
fendat.*

Itaque tibi vehementer commendamus et fore confidi-mus, ut iuvenis clerus in quo laeta spes Ecclesiae suc-cre-scit, tum pietate floreat, tum instructu severiorum sci-en-tiarum et bonarum artium quo illustris fit et utilior sacri ministerii perfunctio. Iunctum autem doctrinae vigeat stu-dium ecclesiasticae disciplinae, ut ex isto florenti plantario egregii prodeant administri caritatis et pacis, qui ceteris exemplo sint et quam de se excivere in Nobis sustineant expectationem. — Cleri similes fideles e populo sint, qui solidati in fide concordiam diligent, sub sint ultiro auctori-tati legitimae, pie matrem Ecclesiam colant, caveant autem imprimis ne *excidant a propria firmitate errore traducti* et fraude pravorum hominum, qui religionem simulantes et caritatem patriae adiutricem praebent operam sectis Eccle-siae infensis, eoque intendunt per maledicta et probra typis vulgata ut viris ac rebus infamiam inferant queis omnis debetur honos, atque unitatem proscindant quae discipli-nae et obedientiae nexibus continetur.

Equidem haud ambigimus, quin pro pastorali zelo et prudentia tua curam operamque omnem sis collaturus ut discutiantur nubes quae offusae sunt veritati, atque ita gratulari possimus invicem, quod cumulate assequuti fuerimus quod erat in utriusque votis.

Pignus interea Nostræ dilectionis habeto Apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, clero et fide-libus tuae curationi commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27 Iulii 1890, Pon-tificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

ad Episcopum Leodiensem

DE TERTIO LEODII HABENDO SOCIALI CONVENTU.

AUG.
1890.

*Pontifex
laetaccepit
nuntium
novi con-
ventus so-
cialis Leo-
dii mox
habendi.*

IGNOTA tibi sollicitudo non est quam gerimus, ut salutaria quae religio praebet remedia adhibeantur ad ea lenienda mala, quae ex impari hominum conditione opumque partim egestate, partim cupiditate exorta in ipsam vitae societatem rectumque eius ordinem promanant. Hinc facile intelligis voluptatem quam cepimus ex nuncio, quem Nobis attulit epistola tua IIII nonas Augusti data de novo conventu Leodii habendo Septembri mense a catholicis viris qui curant vel sovent opera et instituta ad eum quem diximus cordi Nobis esse finem sanctissimum comparata. — Maior huic nuncio accessit gratia ex eo quod Nos docuerit, viros lectissimos e variis Europae regionibus, nedum ex Belgico regno, istuc coituros, indictoque conventui te praefuturum esse, cuius prudentiam studiumque rei bene gerendae apprime compertum habemus. At summopere Nos oblectavit quod significas propositum esse huic coetui latius effundere et vulgare documenta profecta ab hac Apostolica Sede circa eam quaestionem, in qua non tantum aequa laborum merces, quantum publicae privataeque rei securitas vertitur. Plane eius rei cura adhuc Nos occupat atque impensius in ea versamur quod novimus plures esse qui, dum se populares esse iactant, pessimo publico factis explicant placita fallacibus inventa et probata doctrinis. — Interim adprecamur ex animo et firmiter confidimus futurum, ut tibi et ceteris tecum congressuris praesens adsit ope sua Deus, atque ex collatis studiis consiliisque vestris fructus educat salutis uberrimos. Meritas insuper tibi tuoque gregi gratias agentes pro filiali studio quod, stipe liberaliter collata, in

*Gaudet
quaestionem
de aequa la-
borum mer-
cede specia-
lissime ibi-
dem ad
mentem Se-
dis Apost.
esse retrac-
ctandam.*

*Ope m Dei
congressu-
ris optat,
eisque bene-
dicit.*

hanc Sanctam Sedem testari voluistis, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, tibi ac praedicto gregi tuae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 7 Augusti 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Maximilianum Zara praesidem, sodalesque
societatis Paullianae.

DE societate ista vestra, Nobis quidem probe cognita, gaudemus quod annum iam decimum quintum, navando utiliter operam, exegerit, simulque confidimus fore ut, a salutari instituto suo nihil discedens, florere perget et ad maiora contendere. Voluntatem profecto alacrem recteque faciendi cupidam in eo perspicimus quod modo decrevistis, quoddam velut foedus inter catholicos facere ad pravorum cuiusque generis scriptorum prohibenda contagia. Optimum sane consilium ac peropportunum : nemo enim non videt qualem moribus labem, quantam religioni ordinique publico perniciem inferant istiusmodi flagitiose impieque scripta, quae incredibili copia disseminari in vulgus quotidie solent.— Quamquam vero tanta mali vis ac magnitudo est ut stirpitus extrahi penitusve prohiberi nulla humana ope possit, oportet tamen pro virili parte resistere : minui enim et aliquatenus circumscribi acri cura industriaque potest. — Quare agite, dilecti filii, propositum animose Deo bene iuvante insistite : quantoque magis lectores studueritis a corruptis fontibus revocare, ad salubres adducere, tanto melius vos de religione honestisque moribus, imo de ipsa prosperitate publica meruisse putatote. Caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem accipite, dilecti filii, Apostolicam benedictionem, quam vobis permanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8 Augusti 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.

8
AUG.
1890.

Pontifex
societatis
Paullianæ
laudat in-
crementum,

consilium,

fructus,

eiusque sti-
mulat zo-
lum.

EPISTOLA

ad Cardinalem Manning, Archiepiscopum

Westmonasteriensem

DE REBUS HIBERNIS ET MELITENSIBUS.

7
SEPT.
1890.

Pontifex
pro acce-
ptis litteris
gratias
agit.

Queritur
Romani
Pontificis
acta ab ini-
miciis in de-
teriore
partem ac-
cepta.

Recolit
quid et quo
animo in
rebus Hi-
berniae nu-
per egerit.

LITTERAS abs te proxime accepimus, e quibus eminet tuus ille in Sedem Apostolica m amor tot rebus tamque diu spectatus et cognitus. Nobis quidem eiusmodi significaciones animi tui gratae esse omni tempore consueverunt : sed haec, de qua loquimur, accedit ab ipsa opportunitate gratior. Habbamus enim per eos dies etiam illam molestiam, quam adlati nonnullorum ex Britannia sermones iudiciaque minus aequa pepererant. — Nostri hominum, nomini catholico inimicorum, usitatum morem : vix reperiatur romani Pontificis, praesertim in negotiis gravioribus, dictum ullum factumve, quod eorum reprehensionem variasque vituperationes effugiat : idque saepe per imprudentiam faciunt, saepe etiam consilio. Interest enim inimicorum, quae vel optimo iure et perspicua cum utilitate communi gesta sint, in deteriore partem accipere. Sic his postremis annis, commotâ per spem meliorum rerum Hibernia, Nos certe in earum rerum cursum constanter intentum animum habuimus studio benevolentiaque tanta, quanta Hibernorum non modo afflictæ fortunæ, sed virtuti, religioni, fortitudini a romano Pontifice debebatur. — Sed ut quam rectissime age-rentur omnia, misimus in rem praesentem cum mandatis virum prudentem et gravem, qui quo res statu forent, coram cerneret ; atque habitu animorum caussaque omni explorata, accurate ad Nos et fideliter referret. Cumque multos constitisset finem et modum in dimicatione transire, improbavimus quod erat dignum improbatione, admonita multitudine ut quodcumque iustitia non probaret, id omne, ut decet christianos, caute defugeret. Cuiusmodi decretis, si recte diiudicari velit, non muneri solum Nostro, ut oportebat, satis fecimus, sed ipsam, pro qua contendit Hibernia,

ut ex conventus seu capituli generalis consulto *integra communis vitae disciplina* in Sodalitatem universam induceretur; die autem 20 Maii anno 1860 statuit, unam eamdemque domum initialibus omnibus probandis esse debere.

Familiae Anglo-Benedictinae curam haud mediocrem Nos item gessimus; et meminisse placet, quum anno 1881 inspectorem sive, ut vocant, visitatorem legavimus dilectum filium Bonifacium Krug, sodalem Benedictinum, qui nomine Nostro cognosceret in rem praesentem quemadmodum ipsius rationes sese haberent, quidque a Nobis curationis forte postularent, et plene ad Nos referret. Relata ab illo ut summa cum diligentia prudentiaque expenderentur, singulare quoddam Consilium delegimus S. R. E. Cardinalium;

qui viderent praeterea et censerent quaenam toti Sodalitati et Apostolico missionum muneri, cui sese alumni magnam partem dedunt, possent aptius prodesse : ad ipsorum vero consultationes, die 6 Iulii anno 1883, comprobando rescripsimus. — Iam nunc optantes eo amplius testificari, et qua Nos Sodalitatem ipsam voluntate complectimur, et quanto studio dignitatis eius tenemur, rati sumus tempestive et optime factum, si per Nos difficultates quaedam radicibus evellerentur quibus illa constringitur ne pleno gradu ad propositum suum contendat. — Quarum caussa difficultatum quia residet in forma nunc valente regiminis eius, hanc visum est prudenti temperatione novari oportere, ut et temporum conveniat naturae, et propria Ordinis instituta retineat. Formam enim regiminis, quae in praesentia valet, ideo Urbanus VIII Constitutione *Plantata* edixit, quod nullum in Anglia per illa tempora erat monasterium, neque per conditiones rei sacrae et civilis esse licebat : quapropter decrevit, ut *Congregatio Anglicana sic stabilita regeretur ab uno Superiore, vocato Praeside, qui extra Angliam resideret durante schismate, et a duobus Provincialibus immediate sub dicto Praeside in Anglia ; parique modo a Prioribus Residentiarum seu Conventuum extra Angliam ; et deinde certo etiam numero Definitorum.* Hoc modo iurisdictio in missiones et in monachos eis deditos adempta est monasteriis, a quibus ipsi excepti, quibusque tum etiam cum missionale munus exerceherent erant devincti, atque binis Provincialibus ibidem consentibus tota est transmissa : quod sane fuit pro rebus locisque sapienter constitutum, atque adeo necessarium, ne missiones inopiâ gubernationis laborarent, neque minus ut missionariis communis esset sedes ac veluti centrum quo se in rebus omnibus verterent. — Ubi vero, conversis per Angliam temporibus, aliquot ibi coenobia restitui coepta sunt suisque praepositis regi, fieri certe debebat, id quod brevi est factum, ut, ea manente disciplina, incommoda non pauca neque levia occurrerent, totius videlicet Congregationis rectio, duplicata quasi potestate, funditus miscretur. Hisce maxime temporibus res eo venit, ut ipsa perclitetur Sodalitatis concordia : sunt enim qui haec in

*Pridie idus
NOVEMB.
1890.*

*Nunc per
se quædam
scopo ob-
stantia tol-
tere inten-
dit.*

*Ostenditur
qua sapien-
ti ratione
Urbanus
VIII tunc
temporis
jurisdictio-
nem ac
discipli-
nam Con-
gregationis
missionibus
addictæ
diffinierit.*

*Sed instau-
ratis mona-
steriis di-
cordia or-
ta inter
duplex ele-
mentum
monasti-
cum et mis-
sionale.*

quaestionem adducant, Congregatio ne Anglo-Benedictina per se et naturâ sua monastica sit an missionalis ; itemque, utrum ad monasteria summa potestatis pertineat, ob eamque caussam debeant illis missiones parere, an vero sit missionibus integrum suis propriis legibus facere, omni solutis erga illa obsequio. — Iamvero apertissime patet Congregacionem Anglo-Benedictinam suapte natura monasticam esse ; eatenus autem missionalem, quia et aliis munera sacrorum officiis et missionibus pariter dare operam consuevit : ex quo aeque patet debere missiones monasteriis, nequam haec illis, parere. Id quippe omnino exposcit ipsius ratio et caussa Congregationis, concinente palam historia teste. Et ipsa enim, ut alius quivis religiosorum Ordo, duo quaedam, alterum ab altero distinctum tamquam fines, spectat et sequitur : primum, ut alumnos ad omnem animi sanctimoniam consiliorum evangelicorum ductu erudiat, operibus iis fungendis quae sibi ex suis legibus propria sunt et praecipua ; proximum, ut alia accuret et peragat opera ad quae actuosam suorum virtutem porrigitur possit et velit.

Congregatio quum natura magis monastica sit, missiones monasteriis parere aequum est.

In quovis ordine ex duplice elemento sanctificationis internæ, activitatisque externæ, prius naturam ipsius magis exprimit.

In eo igitur primo quum vis et natura Ordinis posita sit, inde profecto normae et leges, quibus ipse dirigatur, petendae : eisdem vero legibus cetera, quaecumque in proximo continentur, necesse est obsequantur et serviant, nequaquam contra, quod praepostere fuerit. — Itaque Anglo-Benedictinae Congregationis vis et natura, quam esse usquequaque monasticam et regulae ipsae et constitutiones et annales declarant, hoc suo vult iure, ut qui monasteriis plena cum potestate praesint, iidem ipsam omnibus partibus, sive intra coenobiorum septa, sive extra, in varia munera functione, pari cum potestate regant et moderentur. — Neque secus decursu temporum actum. Etenim anno 596 S. Augustinus una cum sociis monachis ad quadraginta, iussu S. Gregorii Magni, in Angliam perrexit *ut gentes illas ad Christum converteret* ; ubi voluntati Pontificis religiosissime obtemperans, non alios ministros instituit esse quam monachos (¹). Hac de caussa primum aggressus est ad monasterium Cantuariae, in urbe principe, aedificandum, a quo omnis deinde

Inde, quum Congregatio Anglo-Benedictina monastica sit, a coenobiorum rectoribus moderanda est.

Quod aperite docet historia prioris Congregationis a S. Augustino, juxta mentem S. Gregorii M. conditæ.

¹. Mabillon, *Annal. benedict.*, an. 601.

DE CONGREGATIONE ANGLO-BENEDICTINA.

Pridie idus
NOVEMB.
1890.

pendebat rectio non solum de custodia legitimae disciplinae, verum etiam de officiis ad animorum salutem explendis. Sic enimvero statuerat S. Gregorius, alumnos Benedictinos simul apostolos simul monachos agere, ut monasteria tamquam sedes quasdam apostolatus haberent; abbates autem procreationem omnem gerere ecclesiarum quas monachi (neque enim alii per eas regiones erant clerici) pro fidelium accessionibus essent condituri. — Ex eo fiebat, ut quamquam monachi per omnia sacerdotii munia studiosissime versarentur, tamen rerum omnium summa et gubernatio in monasteriis penes abbates consisteret. Erant in insula, octavo saeculo ineunte, monasteria eaque ampla octo: inde quaerebantur Episcopi, qui quidem apud ipsa convenienter habitabant, sed integra in monachos missionarios abbatibus manebat auctoritas (¹). Tali disciplinae ratione Congregatio magis deinceps magisque floruit, ut saeculo quinto decimo abbatias quadraginta duas, prioratus duos et viginti obtinaret: atque uno perpetuoque tenore ad excidium usque postero saeculo illatum perseveravit. — Iamvero quae ibidem nunc est Sodalitas, eadem omnino habenda est atque illa, quippe quae a monacho veterum superstite sit instaurata, eodemque intendat, ad christianam Anglorum institutionem: siquidem quod veteres in eos fecere, ab ethnica ignominia et superstitione deducendo, hoc novi facere insistunt, ad catholicam fidem reducendo.

Hac in caussa decessores Nostri, fautores eiusdem Sodalitatis amplissimi, nihil sane ullo tempore decreverunt quo in ipsam alium naturâ modum gubernationis velle viderentur inducere: atque immo ex ipsa Constitutione *Plantata*, qui recte penitusque inquisiverit, contrarium quiddam non obscure apparebit. — Quod enim, interdictis per ea tempora monasteriis in Anglia, neque praepositi quidem monachorum poterant ibi esse, quorum vigilantia consiliisque Benedictini missionarii, ut oportebat, regerentur, idcirco ab Urbano cautum est, ut bini in eam curam designati provinciales incumberent. Id autem, non ad perpetuitatem fuisse factum, sed per exceptionem dilatoriam, tandiu videlicet

Omnia per
monachos
Abbatibus
parentes
fiebant tam
extra quam
intra clau-
strorum se-
pta.

Qualis
floruit per
secula,

talis in-
staurata
vigeat o-
portet.

Idem erui-
tur ex Con-
stitutione
Plantata
Urbani
VIII.

1. Mabillon, *Annal. benedict.*, an. 731-734.

mansurum et valitum quoad rebus temporibusque cedendum, non uno ex loco eiusdem Constitutionis pernosse licet : ubi edictum ut *Praeses resideret extra Angliam, durante schismate* ; ubi etiam datum posse Congregationem a *Prioribus Residentiarum seu Conventuum extra Angliam regi* : quae sane de facultate intelligenda sunt et venia temporaria, nimirum usque dum finibus ditionis suae essent illi prohibiti. Accedit quod ipse Pontifex salva esse decrevit *privilegia, gratias, indulta, facultates, praerogativas Ordinis et Congregationis Nigrorum nuncupatorum S. Benedicti ac illius Monasteriorum in Anglia* (¹), in hisque ecclesiarum novem iura cathedralia : quo decreto, tacite is quidem, sed valde affirmavit, curiarum omnium ecclesiarumque administrationem, quarum utilitatibus Benedictini servirent, ad eorumdem monasteria, si quando essent in integrum restituta, nihil secus quam ante schisma pertinere: tantum igitur abest ut ea Constitutione potestati monasticae Urbanus sit refragatus. — Accedit etiam quod ita fert universe consuetudo Ordinis Benedictini : namque et apud alias eiusdem Ordinis familias, quidquid potestatis est in missiones et in alumnos missionarios, id alii desertur nemini quam coenobiorum praepositis : neque vero quisquam ignorat abbatias esse, quae non modo sibimetipsae consulant, sed ecclesiis externis curiisque haud ita paucis ius dicant easque undique administrent. — Talis autem sociandae temperandaeque potestatis modus, ut monasteriis missiones pareant, etiam propter praeclaras opportunitates quae utramque in partem redundare possunt, optandus maxime est. Quod enim monasteria, ut inter omnes constat, se minus prospere a legitima disciplina studiisque maioribus nunc habent, eius rei caussa non in alumnos, quorum voluntas vel opera desideretur, at vero in rerum hominumque inopiam, et in laborum, quae inde consequitur, immoderationem procul dubio debet conferri : quibus incommodis remedium optimum suppetet, si ex eodem capite aequabilis providentiae ratio in commune manarit. — Similia adiumenta et fortasse maiora ad missiones erunt profectura. Ut enim benevertant

*Ita fert
consuetudo
universalis
Ordinis Be-
nicti, ut
monasteriis
missiones
pareant.*

*Tali di-
sciplina u-
trisque per-
utilis;
nam impe-
dit ne mo-
nasteria
per labores
missionales
exhaurian-
tur,*

*et vicissim
per exempla
claustralria
missiones
fæcundan-
tur.*

et fructus proferant vere salutares, opus est illis non ministerio tantum monachorum, sed multo magis exemplis eorum sanctissimis, quae mirifice possunt ad veritatem persuadendam, ad virtutem commendandam: et licet cultores tales evangelicae vineae, industrii probablesque, non desint, eo tamen plures numerabuntur et plus auctoritate valebunt, quo monasteriis praesidia institutionis accreverint, et lux domesticae perfectionis praestiterit. — Edendis insuper scriptis quum campus missionibus pateat copiae multiplicis, in quo Ordo Benedictinus per aetates omnes tanta cum gloria elaboravit, in eo ipso Familia Anglicana, coniunctis animis et laboribus, doctrinarum studiis excitatis atque in melius provectis, honeste poterit utiliterque certare: scripta enim eruditionis plena et litteratae gravitatis admodum in Anglia proficiunt, ubi intelligentis iudicii viris quaesita probantur, scriptoribus catholicis gratiam conciliant, reverentiam eliciunt erga Ecclesiam romanam, ad eamque, quod fit persaepe, devios invitant. — Illa quoque laboriosa et magni momenti opera, quam imbuendae edocendaeque iuventuti in ludis litterariis et in ephebeis missionarii impendunt, ex arctiore cum monasteriis necessitudine futurum profecto erit, ut perfectius quiddam contingat, proptereaque fiat et in existimatione amplior et civitati multis modis uberior.

Huc nimirum, ut una ex monasteriis ac missionibus communio evaderet, sic ut coenobiorum praepositis, tamquam potestatis munere antecedentibus, monachi missionarii subessent et obdiren, responsa spectaverunt, a delectis Cardinalibus data et auctoritate Nostra firmata. Etsi vero ad caput quaestionis primum: « Derogandum ne et quonammodo de Urbaniana Constitutione *Plantata* pro Congregatione Anglo-Benedictina? » responsum est: « Non videri de ea derogandum »: non tamen id factum perinde quasi ea rectionis ratio nullâ visa sit emendatione aut immutatione egere, at verius quia spes erat fore ut eiusmodi rogatio a monachis ipsis proficeretur, saepius antea professis, huius Apostolicae Sedis optatis nihilo minus quam monitis praecepsisque omni se velle et demissione

*Pridie idus
NOVEMB.
1890.*

*Monasteria sunt
tamquam
officinae o-
ptimorum
scriptorum.*

*Ipsa educa-
tio juvenu-
lis a cœno-
biis majo-
rem accipit
existima-
tionem et
fructum.*

*Relatio-
nem hanc
missionem
ad mona-
steria in
responsis
Cardinales
intendisse,*

*non inficit
responsum
ad primum
quæsitus,*

obsequi et diligentia satisfacere : quo nullum quidem exhibuissent testimonium aut per se praecarius aut acceptius Nobis pietatis studiique sui erga ipsam Apostolicam Sedem atque erga parentem Congregationem. — Sed enim mens et voluntas Nostra cognita satis declarataque erat ex subiectis ad cetera capita quaestionum responsis. Scilicet ad caput secundum hoc modo positum : « Utrum consulendum « et quonam pacto missionibus et rationi studiorum, eiusque « rei gratiâ retinenda ne disciplina de uno eodemque tiro- « cinii domicilio? » responsum est : « Placere ita consulen- « dum, ut ne aliae postea suscipiantur missiones, nisi de « Apostolicae Sedis venia, delectisque ad id opus monachis « doctrina et exemplo probatis ; ut praeses, definitores, « provinciales in monasteriis habeant sedes ; ut cursus et « ratio studiorum ad normam Constitutionum (cap. XVII) « exigantur, hoc praeterea suaso, ut alumni optima spe « praeluentes, Romam doctrinarum cognitione plenius « perfectiusque imbuendi mittantur ; ut unica omnibus sit « ponendi tirocinii domus ; ut conventus seu capitulum « generale ex iis dumtaxat titularibus fiat qui iurisdictione « potiantur. » Quae consulta, et voluntatis Nostrae significationes, ad id quod Nobis tantopere erat et est in votis, concordiam nempe et profectum universae Sodalitatis, rectissime singula conducebant. — Primo enim, ne monasteriis onera adderentur ad ea quibus fatigata et paene oppressa languescunt, provisum, nullas postea missiones, nisi concedente Apostolica Sede, suscipiendas. Tum, ne iuniore aetate monachi, quum non satis vel scientia instructi vel legitima disciplina essent conformati, missionali muneri addicerentur, neve in coenobiis ob sodalium paucitatem communia officia iacerent, praescriptum, ut id muneris monachis imponeretur doctrinae laude et integritate exempli probatis. — Item, ad excitanda studia sapientiae et ad pristinum decus revehenda praescriptum, ut eorum ratio ad optimas normas constitutionum exigeretur, alumnis autem praestantioribus maior quaedam petenda esset Romae perfectio. Sic etiam, coniunctionis caussâ monachos inter conventuales et missionarios, utque missionum to-

*diserte
declarat
responsum
ad secun-
dum caput;*

*quod per
singulas
partes o-
stenditur,
quaे perti-
nent ad no-
vas missi-
ones susci-
piendas,*

*ad missio-
narios deli-
gendas,*

*ad excitan-
da studia.*

tiusque Congregationis rectio in monasteriis adstricta consisteret, iussi praeses, definitores, provinciales degere in coenobiis atque ex regula vivere; quo simul persuasum haberent, utramque vitae rationem, monasticam et missionalem, apposite inter se cohaerere. — Praeterea, ut commune sibi esse propositum, etsi per diversa officia assequendum, alumni omnes mature tenerent, praescriptio confirmata de unico tironibus probandis exercendisque domicilio. Postremo, ne in capitulis generalibus, superante missionariorum numero, conventuales decederent, adhibita cautio ut, sublata consuetudine qua ius ad ea conveniendi suffragiique ferendi titularibus, ut loquuntur, vel potestatis expertibus permittebatur, illis proprie attribueretur qui cum iurisdictione praeesserent. — Ob eamdem caussam illi ipsi delecti Cardinales, ad quaestionem quintam: « Reformandae ne et quibusdam modis constitutiones Anglo-Benedictinae? » responderunt: « Censere se reformandas, hac mente, ut ex ipsa Congregatione quinque viri designentur, scilicet Praeses generalis et quatuor sub eo monachi in consilium vocati; quorum sit constitutiones recognoscere, et referre quae, salvâ earumdem re, novanda videantur: qua in opera suus etiam sit locus et responsis datis ad superiora quaestionum capita, et decretis recentibus *super statu regularium* de novitiorum cooptatione ac professione, et immutatis in Anglia rei sacrae civilisque conditionibus; ita demum ut Sodalitas, integro quidem instituto missionum, de religione tamen et studio monasticae legis, a S. Benedicto traditae, nihil admodum remittat, quin immo acrius ea quotidie intendat. » Ex quo omnino sequitur, quaevis praescripta, cum sancta Patris legiferi disciplina minus congruentia, quae necessitas quaedam per impedita tempora adiecisset, ea deinde, conversis compositisque rebus, de constitutionibus demi atque abrogari oportere.

Istis Nos caassis permoti, ad tuitionem et incrementa familiae Anglo-Benedictinae, quo voluntatum inter alumnos consensione studiorumque conspiratione felicius vigeat;

*Pridie idus NOVEMB.
1890.*

*ad recto-
rum sedem,*

*ad unicum
tirocinium,*

*ad capitula
generalia.*

*Accedit
responsum
ad quintam
quaestio-
nem, quo
constitutio
monastica
legi quam
maxime
conforman-
da declara-
tur.*

*Hicce per-
motus Pon-
tifex sta-
tuit sequen-
tia.*

quo possit ad priscae Sodalitatis, unde continuata existit, amplitudinem gloriae enixius procedere ; quo ipsius opera in colendis missionibus uberiore cum fructu succedat, autoritate Nostra Apostolica haec decernimus et praecipimus :

*Munera
provincia-
tium ac bi-
næ provin-
ciale missio-
nales de-
lentur.*

*Missiones
jurisdictio-
ni mona-
steriorum
submittun-
tur.*

*Ad prepo-
sitos mona-
steriorum
transferun-
tur privile-
gia Provin-
cialium.*

*Praepositi
quoad mis-
siones pre-
sidi gene-
rali morem
gerant.*

*Non nisi
optimi mis-
sionibus de-
stinentur.*

I. Derogantes Urbani VIII Constitutioni *Plantata*, ex qua parte regimen attingit Congregationis Benedictinae et missionariorum in Anglia, munera provincialium pariterque binas missionales provincias delemus ac deletas edicimus.

II. Missiones quae ibi nunc sunt, et quotquot, concessu huius Apostolicae Sedis, a Congregationis alumnis sint ibidem constituendae, coniungantur omnes cum monasteriis, ab eorumque Praepositis gubernentur, quorum iurisdictioni, tum in sacris tum in externis rebus, missiones et missionarios subiicimus ; iura vero sint salva Episcopis aliisque ordinariis per sacros canones constitutionesque Apostolicas reservata.

III. Facultates et privilegia Provincialium vel Definitorum propria, quatenus curam spectant missionum et missionariorum, quocumque illis modo, sive ab Apostolica Sede, sive ex capitulis generalibus vel constitutionibus, tributa, ea omnia ad Praepositos monasteriorum transferimus, adeo ut ipsis eorumque consiliarii facultatibus et privilegiis fruantur omnibus quibus illi antehac fruebantur.

IV. Iidem vero Praepositi, in iis quoque rebus quae sunt ad missiones et missionarios, Praesidi generali consilioque eius sint dicto audientes ; neque, nisi scientibus illis et consentientibus, monachum ullum missionibus destinent.

V. Praeses generalis et consilium eius dent operam, ut adolescentes alumni ad doctrinas et monasticas virtutes ratione gravissima instituantur : neque committant, ut quisquam addicatur missionibus, cuius non exploratam habuerint ad id munus indolem et facultatem : quod si alumni desint idonei, per vicarios e clero externo curent supplendum.

VI. Praeses generalis, collatis consiliis cum coenobiorum Praepositis, provideat quemadmodum missionarii quotan-

nis possint in sua quisque monasteria secedere, ibique aliquandiu, nec mense minus, esse, ut sanctioris disciplinae usu statoque piarum exercitationum curriculo animos reficiant et excolant.

VII. Ad haec iubemus, certum consilium quamprimum cogi, ex Praeside generali, tamquam moderatore, ex Praepositis qui nunc sunt coenobiorum, tribusque Monachis prudentia in primis et doctrina spectatis, quos ipse legerit Praeses ex iis qui missionibus vacant. — Talis consilii haec sint mandata: primum, ut iam constitutas missiones assignet inter monasteria; facta ipsi potestate, nova etiam pro communi missionum bono constituendi: alterum, ut capita pecuniae, quae apud Provinciales in missionum procurationem deposita sunt, excipiat et aequas in partes tribuat monasteriis, a quibus in posterum, secundum Constitutionem Nostram *Romanos Pontifices*, editam die 8 Maii anno 1881, administrentur: tertium, ut novum constitutionum ordinem conficiat, in quo digerendo adhaereat praesentis constitutionis decretis, diligenterque respiciat ad ea quae sunt antehac sancita, de integra legitimaque communis vitae disciplina observanda, de unica tirocinii domo habenda, de sede Praesidis generalis consiliique eius in coenobiis tenenda, de vocandis ad capitula generalia, neque praetermittat recentia decreta *super statu regularium de novitiorum cooperatione ac professione*. Mandatis primo et alteri, intra sex menses ab hac edita Constitutione, tertio autem intra annum, ab ipso consilio sit satisfactum.

Igitur quaecumque his litteris decreta ac declarata et sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec ea notari, infringi et in controversiam vocari posse, ex quavis, licet, privilegiata caussa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, Urbani VIII aliisque Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus; quibus omnibus,

*Pridie idus
NOVEMB.
1890.*

*Missiona-
rii quotan-
nis aliquod
tempus in
propriis cœ-
nobitis de-
gant.*

*Per novum
consilium
missiones,
earumque
pecunia in-
ter mona-
steria aequa
distribuan-
tur.*

*Novus ordo
constitutio-
num elabo-
retur ad
mentem in
hische expo-
sitam.*

*Pontifex
praesentia
decreta om-
mino ser-
vanda de-
clarat.*

perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta es-
sent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse
derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contra-
rium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Domi-
nicae millesimo octingentesimo nonagesimo, pridie idus
Novembris, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

A. CARD. BIANCHI PRO-DAT.

M. CARD. LEDOCHOWSKI


VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco  Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS



EPISTOLA

ad Cardinalem Benavides y Navarrete

Archiepiscopum Caesaraugustanum.

DE CONCORDIA ET ZELO PACIFICO.

14
NOVEMBER.
1890.

*Pontifex
laetatur de
felici even-
tu congres-
sus Cæsar-
augustæ
habiti,*

SUAVISSIME affecti sumus perfecta epistolai quam sensibus egregiis refertam ad Nos dedist, nomine Hispanorum fidelium, qui secundum conventum suum in ista civitate illustri celebrarunt. Vix enim sine dubitatione affirmare possemus quid magis in iis litteris mirati simus, an testimonia antiquae et constantis fidei, quae maiorum vestrorum animos incendit ac tantum patriae vestrae attulit decus, an sincera indicia filialis erga Nos studii et summae in Apostolicam Sedem observantiae. — Plane ex hac fide simul et filiali studio profectam intelleximus sollicitudinem quam geritis, ut liber omnino neque ullius potestati obnoxius sit supremus Ecclesiae Antistes, quem nequitia hominum et infensa vis e civili principatu deiectum in conditionem miseram, periculi plenam ac similem servituti detraxit. Ex hisce studiis vestrīs non leve Nobis obvenit solatium inter eas quibus premimur acerbitates et curas. Quum enim hinc angamur impiorum conatibus, qui scelesto foedere iuncti nihil missum faciunt, ut cogitata perficiant, bellum gerentes atrox et pertinax adversus Ecclesiam eiusque caput, facile intellectu est quantopere Nos laetari oporteat quum istic spectemus filios lucis, Pastorum ductu, in unum coēuntes delibерatum de potiori ratione et ope, qua legitima defensio paranda sit, ac sibi invicem addentes animos ad caussam Dei constanter strenueque tuendam. — Ad hanc autem voluptatem, quam ex conventu vestro cepimus, cumulus accessit, cum ex Episcoporum numero, qui stipati lectissimi ex omni ordine viris doctrina et litterarum elegantia praestantibus ex universa Hispania istuc convenere, ubi

*imprimis
de jure ac
libertate
Supremi
Pastoris
strenue
vindicatis
ab iniqua
temporum
oppressione,*

*adprobante
numerosis-
sima, cla-
rissimaque
corona.*

*Lætatur Hispani-
am, virium
consciam,
ad certa-
men fidei
experre-
ctam.*

perhumaniter et honestissime excepti sunt, tum ex frequen-
tia populi qui istuc confluxit, rerumque in hoc coetu gesta-
rum amplissima solemnitate. — Haec dum mente comple-
ctimur, probe dignoscimus experrectam virtutem esse

*Hispanae gentis, eamque non modo moveri vocibus officii
sanctissimi ut collatis viribus summas rationes defendat
religiosi et socialis ordinis in discrimen adductas, sed ap-
prime consiam esse copiarum et opum, quas ad communem
salutem conferre posset si nulla obessent impedimenta. Ad
haec amolienda necesse est ut postrema deleantur vestigia
dissidiorum, quae catholicos Hispanos miserrime distraxe-
runt, et quae divulsaे erant vires compositae instructaeque
coalescant, non ductu privatorum hominum, quibus nihil
sit antiquius mortalis vitae commodis et partium studiis,
sed eorum quos tutelae et custodiae religiosi et moralis
ordinis praefecit Deus. — Hinc fore confidimus ut etiam*

*Sperat fore
ut tandem
ad melio-
rem sensum
se reci-
piant.*

pauci illi qui contra hortatus Nostros adhuc obnituntur, nec se sinunt agi spiritu fraternae concordiae, quo nihil magis necessarium est nec Nobis optatius, dociles demum se praebant, uti pios decet Ecclesiae filios, et acie conser-
tissima congregantur opem laturi parenti amantissimae, Ecclesiae minis undique et telis hostium impetitae. Spera-
mus scilicet eos re et verbis ostensuros, se ab ea semita recessisse, qua temere gradientes nec sibi proderant nec caussae Ecclesiae, sed improbo confecti labore tristem utri-
que parabant perniciem.

*Laudat
Episcopos
Hispaniæ,*

Tu vero, dilecte fili Noster, et alii Hispani Antistites, quibus comperta est invicta vis perfectae concordiae quae mentes et corda iungit, praeclarum sapientiae et virtutis dedistis exemplum vosque pares titulo ostendistis illustris gloriae a maioribus traditae quum auspice Virgine Dei parente, quam pietate singulari gens Hispana colit, con-
sociatissima voluntate in istam civitatem convenistis. —

*eorumque
stimulat
zelum paci-
ficum.*

Pergite ergo magno alacrique animo ea quam iniistis via : plus quam pro virili parte, si fieri possit, contendite con-
cordiam et pacem fovere. Hac maxime in praesens indi-
get Ecclesia ; hanc a vobis, hanc a fidelibus curae vestrae commissis, qui ab officiis sanctissimis penitus discedere

nolint, postulat vehementer. Utcumque vobis data sit occasio, neque monitis neque precibus parcite ut omnibus persuasum sit, in tuenda religionis caussa, posthabendas esse rationes humani commodi quaeque sunt privatim utilia, sed a cunctis connitendum ut e certamine victrix discedat Ecclesia. Atque hoc quidem praestandum est non pro cuiusque prudentia et arbitrio, sed nutu et iusu eorum quibus huiusc rei cura est demandata divinitus. Alia quaevis agendi ratio catholicis proposita, huic adversa vel ab ea deflectens, non prosperos, sed tristes haberet eventus, quippe opus Dei non esset, adeoque saluti non esset agentibus, sed iacturae, iuxta Domini effatum : « *Qui non est mecum, contra me est; qui non colligit mecum dispergit.* »

Evidem non ambigimus quin omnes Hispaniae Episcopi, qui constanter Nos demeruerunt officiis suis, pro ea qua praestant fide et observantia in Apostolicam Sedem, una cum clero et populo cui praesunt, optatis hisce nostris cumulate satisfaciant et sollicitudini Nostrae studiose respondeant. Atque hac fiducia freti Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, tibi, dilecte fili Noster, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Hispaniae, omnibus qui conventus Caesaraugustani fuere participes, eiusve scitis suffragati sunt, toti denique Hispanac genti, quam semper impense dileximus, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 14 Novembris 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

¹⁴
NOVEMB.
1890.

In defensio-
ne Ecclesie
abdicanda
commoda et
judicia pri-
vata.

Pontifex
vota faciens
Hispania^æ
Catholicæ
benedicit.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad singulos catholici orbis Episcopos.

DE MISSIONIBUS AFRICANIS STIPE

COMMUNI IUVANDIS.

20
NOVEMB.
1890.

Pontifex
testatur
Ecclesiam
delendae
servitutis
semper
fuisse solli-
citam,

ope impri-
mis Roma-
norum
Pontifi-
cum.

CA THOLICAE Ecclesiae, quae omnes homines materna caritate complectitur, nihil fere antiquius sicut inde ab initio, ceu nosti, Venerabilis Frater, quam ut servitutem, quae misero iugo premebat mortalium quamplurimos, sublatam cerneret penitusque deletam. Sedula enim custos doctrinae Conditoris sui, qui per se Ipse et Apostolorum voce docuerat homines fraternalm necessitudinem, quae iungit universos, utpote eadem origine cretos, eodem pretio redemptos, ad eamdem vocatos beatitatem aeternam, suscepit neglectam servorum caussam ac strenua vindex libertatis extitit, etsi, prout res et tempora ferebant, sensim rem gereret ac temperate. Scilicet id praestitit prudentia et consilio constanter postulans quod intendebat religionis, iustitiae et humanitatis nomine ; quo facto de nationum prosperitate cultuque civili meruit optime. — Neque aetatis decursu hoc Ecclesiae studium adserendi mancipia in libertatem elanguit ; imo quo fructuosius erat in dies, eo flagrabat impensius. Quod certissima testantur monumenta historiae, quae eo nomine plures commendavit posteritati decessores Nostros, quos inter praestant S. Gregorius Magnus, Hadrianus I, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Pius II, Leo X, Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII, Gregorius XVI, qui omnem curam et operam consultere, ut servitutis institutio, ubi vigebat, excideret, et caveretur ne unde exsecta fuerat, ibi eius germina reviviscerent.

Tantae laudis hereditas a praedecessoribus tradita repudiari a Nobis non poterat : quare nulla praetermissa a

Nobis occasio est, improbandi palam damnandique tetricam hanc servitutis pestem ; ac data opera de ea re in litteris egimus, quas 3 nonas Maias anno 1888 ad Episcopos Brasiliae dedimus, quibus gratulati sumus de iis, quae pro mancipiorum libertate in ea regione gesta fuerant laudabili exemplo privatim et publice, simulque ostendimus quantopere servitus religioni et humanae dignitati aduersetur. Evidem cum ea scriberemus, vehementer commovebamur eorum conditione qui dominio subduntur alieno ; at multo acerbius affecti sumus narratione aerumnarum, quibus conflictantur incolae universi regionum quarumdam Africæ interioris. Miserum sane et horrendum memoratu est, quod certis nunciis accepimus, fere quadringenta Afrorum millia, nullo aetatis ac sexus discrimine, quotannis abripi per vim e rusticis pagis, unde catenis vincti ac caesi verberibus longo itinere trahuntur ad fora, ubi pecudum instar promercalium exhibentur ac veneunt. — Quae cum testata essent ab iis qui viderunt, et a recentibus exploratoribus Africæ aequinoctialis confirmata, desiderio incensi sumus opitulandi pro viribus miseris illis, levandique eorum calamitatem. Propterea, nulla interiecta mora, dilecto filio Nostro Cardinali Carolo Martiali Lavigerie, cuius perspecta Nobis est alacritas ac zelus Apostolicus, curam demandavimus obeundi praecipuas Europæ civitates, ut mercatus huius turpissimi ignominiam ostenderet, et Principum civiumque animos ad opem ferendam aerumnosae genti inclinaret. — Quam ob rem gratiae Nobis habendae sunt Christo Domino, gentium omnium Redemptori amantissimo, qui pro benignitate sua passus non est curas Nostras in irritum cedere, sed voluit esse quasi semen feraci creditum humo, quod laetam segetem pollicetur. Namque et Rectores populorum et catholici ex toto terrarum orbe, omnes demum, quibus sancta sunt gentium et naturae iura, certarunt inquirere, qua potissimum ratione et ope conniti praestet, ut inhumanum illud commercium evellatur radicibus. Solemnis conventus non ita pridem Bruxellis actus, quo Legati Principum Europæ congressi sunt, ac recentior coetus privatorum virorum, qui eodem spectantes magno

²⁰
NOVEMB.
1890.

Recolit
litteras a se
de eodem
argumento
ad Episco-
pos Bras-
iliae missas,

quæque
egerit pro
tollenda
immani
servitute
Afrorum.

Fructus la-
borum læte
gratique
salutat,

imprimis
conventus
Bruxellis
ac Lutetiae
habitos.

animo Lutetiam convenere, manifesto portendunt tanta vi et constantia Nigritarum caussam defensum iri, quanta est ea qua premuntur aerumnarum moles. Quare oblatam iterum occasionem nolumus omittere, ut meritas agamus laudes et gratias Europae Principibus ceterisque bonae voluntatis hominibus, atque a summo Deo precamur enixe, ut eorum consiliis et orsis tanti operis prosperos dare velit eventus.

*Gravior
Pontifici
cura ut flo-
reat apud
Afros reli-
gio christi-
ana, huma-
nae digni-
tatis magi-
stra.*

At vero praeter tuendae libertatis curam, gravior alia pressius attingit Apostolicum ministerium Nostrum, quod Nos curare iubet, ut in Africae regionibus propagetur Evangelii doctrina, quae illarum incolas sedentes in tenebris, a caeca superstitione offusis, illustret divinae veritatis luce, per quam nobiscum fiant participes hereditatis regni Dei. Id autem eo curamus enixius, quod illi, hac luce recepta, etiam humanae servitutis ab se iugum excutient. Ubi enim christiani mores legesque vigent, ubi religio sic homines instituit, ut iustitiam servent atque in honore habeant humanam dignitatem, ubi late spiritus manavit fraternae caritatis, quam Christus nos docuit, ibi neque servitus, nec feritas, neque barbaria extare potest; sed floret morum suavitas, et civili ornata cultu christiana libertas. — Plures iam Apostolici viri, quasi Christi milites antesignani adiere regiones illas, ibique ad fratrum salutem non sudorem modo sed vitam ipsam profuderunt. Sed *messis quidem multa, operarii autem pauci*: quare opus est, ut alii quamplures eodem acti spiritu Dei, nulla verentes discrimina, incommoda et labores, ad eas regiones pergant, ubi probrosum illud commercium exercetur, allaturi illarum incolis doctrinam Christi verae libertati coniunctam. Verum tanti operis aggressio copias flagitat eius amplitudini pares. Non enim sine ingenti sumptu prospici potest missionariorum institutioni, longis itineribus, parandis aedibus, templis excitandis et instruendis, aliisque id genus necessariis, quae quidem impendia per aliquot annos sustinenda erunt, donec in iis locis ubi considerint evangelii praecones, suis se sumptibus tueri possint. Utinam Nobis vires suppeterent quibus possemus hoc onus suscipere. At quum votis nostris obsi-

*Plures in
hac messe
operarii re-
quiruntur,*

*itemque
pares opes,*

*angustiis
presso su-
premo Pa-
store,*

stant graves, in quibus versamur, rerum angustiae, te, Venerabilis Frater, aliosque sacrorum Antistites et catholicos omnes paterna voce compellamus, et Vestrae eorumque caritati commendamus opus tam sanctum et salutare. Omnes enim participes eius optamus fieri, exigua licet collata stipe, ut dispartitum in plures onus levius cuique toleratus sit, atque ut in omnes effundatur gratia Christi, de cuius regni propugnatione agitur, eaque cunctis pacem, veniam peccatorum, et lectissima quaeque munera impertiat.

Propterea constituimus, ut quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniae Domini celebrantur mysteria, in subsidium memorati operis pecunia stipis instar corrogetur. Hanc autem solemnem diem p[re]ceteris elegimus quia, ut probe intelligis, Venerabilis Frater, ea die Filius Dei primus sese gentibus revelavit dum Magis videndum se praebuit, qui ideo a S. Leone Magno decessore Nostro scite dicti sunt *vocationis nostrae fideique primitiae*. Itaque bona spe nitimur fore, ut Christus Dominus permotus caritate et precibus filiorum, qui veritatis lucem acceperunt, revelatione divinitatis suae etiam miserrimam illam humani generis partem illustret, eamque a superstitionis coeno et aerumnosa conditione, in qua tamdiu abiecta et neglecta iacet, eripiat.

Placet autem Nobis, ut pecunia, praedicta die collecta in ecclesiis et sacellis subiectis iurisdictioni tuae, Romam mittatur ad sacrum Consilium christiano nomini propagando. Huius porro munus erit partiendi eam pecuniam inter missiones quae *ad delend: m potissimum servitutem* in Africæ regionibus extant aut instituentur: cuius partitionis hic modus erit, ut pecunia profecta ex nationibus, quae suas habent catholicas missiones ad vindicandos in libertatem servos, ut memoravimus, istis missionibus sustentandis iuvandisque addicatur. Reliquam vero stipem idem sacrum Consilium, cui earumdem missionum necessitates compertae sunt, inter egentiores prudenti iudicio partietur.

Equidem non ambigimus, quin vota Nostra pro infelibus Afriis concepta, benigne excipiat dives in misericordia Deus, ac tu, Venerabilis Frater, ultro collaturus sis studium

²⁰
NOVEMB.
1890.

*a fidelibus
totius orbis
expectan-
dæ.*

*Colligatur
quotannis,
die Epiph-
niae Domi-
ni, pecunia
ad hunc
finem,*


*Romam
mittenda,
atque inter
missiones
Africanas
disper-
tenda.*

*Pontifex
sperat hac
abundanti
stipe nullo
modo institu-
tutum Lug-
dunense a
propaga-
tione fidei
frustratum
iri.*

operamque tuam, ut ea expleantur cumulate.—Confidimus in-
super, per hoc temporarium ac peculiare subsidium, quod fide-
les conserent ad inhumani commercii labem abolendam et
sustentandos Evangelii nuncios in locis ubi illud viget, nihil
imminutum iri de liberalitate qua catholicas missiones
adiuvare solent collata stipe in institutum quod Lugduni
conditum *a propagatione fidei* nomen accepit. Salutare hoc
opus, quod fidelium studiis pridem commendavimus, hac
nunc opportunitate oblata novo ornamus laudis testimonio,
optantes ut late porrigit beneficentiam suam et laeta flo-
reat prosperitate. Interim tibi, Venerabilis Frater, clero et
fidelibus pastorali vigilantiae tuae commissis, Apostolicam
benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Novembris 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



LITTERAE

ad cardinalem Bausa, Archiepiscopum

Florentinum

DE CULTU SACRAE FAMILIAE.

NO VUM argumentum perspecti tui erga hanc Apostolicam Sedem studii et obsequii prodiderunt litterae Augusto mense exeunte ad Nos datae, quibus vota Nobis significasti plurimum fidelium, ut veneratio quae Christo Domino ac Matri Virgini et S. Iosepho, domesticae eius societatis consortibus, sub Sacrae Familiae titulo exhibetur, ad ampliorem in Ecclesia cultus dignitatem provehatur, atque de hac re, utilieri debet in caussis gravibus fidem ac disciplinam spectantibus, sententiam et iudicium huius Apostolicae Sedis postulasti. Tuae observantiae et prudentiae officium Nos plurimi aestimantes, confestim postulationis tuae rationem habendam censuimus, ac rem propositam Consilio Nostro sacris ritibus praeposito cognoscendam mandavimus, ut deinde ad Nos consulta et exquisita referret. — Re itaque diligenter expensa, tibi nunc significamus, ob peculiares iustasque caussas Nos decrevisse, ut pietatis cultus erga Sacram Familiam, nullis aliis inductis eius exercendi novis formis, in eo statu servetur, in quo auctoritate huius Apostolicae Sedis probatus fuit, atque ut potissimum christiana domus Sacram Familiam ad venerationem et exemplum propositam habeant, iuxta instituta piae illius consociationis, quam decessor Noster fel. rec. Pius IX suis litteris die 5 Ianuarii anno 1870 datis probavit et commendavit, atque in spem certam maximorum fructuum latius in dies propagari exoptavit. Quam spem salutarium bonorum et Nos ultro in eiusdem societatis spiritu ponimus: confidimus enim fideles omnes probe intelligentes, in cultu, quem Sacrae Familiae exhibit, sese mysterium vitae absconditae venerari, quam Christus cum Virgine Matre et S. Iosepho egit, inde magnos stimulos habituros ad fidei fervorem augendum et

20
NOVEMB.
1890.

Pontifex
grate exce-
pit vota
purpuri-
Præsulis
cultum Sa-
crae Fami-
liae respi-
cientia.

Servan-
dam decla-
rat formam
huic cultui
a Pio IX
adscri-
ptam.


Commen-
dat egregie
pietati fide-
lium hunc
cultum tot
rationibus
præcelen-
tem.

*Vota facit
ut extendatur magis,
formulamque orandi
se confici
curasse testatur.*

virtutes imitandas, quae in divino Magistro ac Deipara, eiusque Sponso sanctissimo fulserunt. Hae autem virtutes, ut non semel monuimus, dum aeternae vitae mercedem pariunt, ad prosperitatem etiam domesticae et civilis societatis tam misere hoc tempore laborantis spectant; cum ex familiis sancte constitutis, civitatis etiam commune bonum, cuius familia fundamentum est, necessario consequatur. — Maius vero fiducia Nostra incrementum capit dum cogitamus, Sacrae Familiae cultores ex instituto societatis quam diximus, a Christo Domino gratiam per merita Matris Virginis et S. Iosephi sedulo efflagitantes, propitiam indubie opem experturos, ut vitam sancte componant, atque uti in domibus suis concordiam, caritatem, in adversis tolerantiam morumque honestatem laetentur efflorescere. — Vota igitur ad Deum effundimus, ut germanus memoratae societatis spiritus in dies latius inter fideles emanet ac vigeat, atque in hanc rem operam suam collatuos tum sacrorum Antistites, tum omnes Ecclesiae administros non dubitamus. In mandatis autem dedimus Consilio Nostro sacris ritibus praeposito, ut orandi formulam ad te mittat, quam confici et edi curavimus in usum fidelium, ad domos suas Sacrae Familiae consecrandas, tum etiam quotidianae precationis exemplar a fidelibus in Sacrae Familiae veneratione personvendae. — Tuo demum in Nos obsequio, dilecte fili Noster, parem dilectionis affectum libenter profitemur, et in auspicio caelestium munerum, Apostolicam benedictionem tibi, et clero ac fidelibus, quibus praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Novembris 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Episcopum S. Flori

DE AGENDI RATIONE CATHOLICORUM

IN REPUBLICA GALLICA.

REDDITAE mihi sunt litterae ab Amplitudine Tua die 19 Novembris datae, quibus erat iniecta mentio dissidii sententiarum quod nuper excitum est in Galliis super re gravissima; quod dissidium eo magis abbesse oporteret, quo magis necessaria est inter catholicos omnes summa voluntatum coniunctio.

Quae mens ac sententia sit Apostolicae Sedis ea super re, facile dignoscere potes ex doctrina explicata in actis quae ab eadem prodiere. — Patet ex illis catholicam Ecclesiam, cuius divina missio tempora et loca omnia complectitur, nihil in sua constitutione et doctrinis habere quod ab aliqua abhorreat reipublicae forma, quum singulae optimum civitatis statum parare ac tueri possint, si iuste ac prudenter adhibeantur. Scilicet Ecclesia assurgens supra mutabiles imperii formas ac contentiones et studia partium, spectat imprimis religionis incrementa et animarum salutem; quod bonum supremum est, cui curando ac provehendo studium operamque omnem sedulo debet conferre.

Haec cogitans et animo intendens Apostolica Sedes, traditionem sequens aetatum omnium, non modo civiles potestates observat (sive unius, sive plurium imperio regatur respublica), sed etiam cum iis agit missis exceptisque nunciis et legatis, et consilia confert ad transigenda negotia et definiendas quaestiones, quae mutuas rationes Ecclesiae et reipublicae attingunt. — Perfunctio huius muneric, cuius amplitudo humanas res supereminet, nullum infert praetudicium iuribus quae forte ad aliquos spectare possunt, velut sapienter declaravit sanctae memoriae Pontifex Gregorius XVI, decessorum suorum vestigia sequens, in litteris Apostolici die 7 Augusti datis anno 1831, quarum initium «*Sollicitudo*».

²⁸
NOVEMB.
1890.

*Defunesto
dissidio in
Galliis or-
to*

*quid sen-
titat Eccle-
sia ex actis
ejusdem pa-
tet.*

*Non ab-
horret ab
aliqua for-
ma reipu-
blicæ, reli-
gionis ani-
marumque
sollicita.*

*Nil defi-
niens de ju-
ribus, cum
existenti-
bus potesta-
tibus tra-
ctat.*

*Hanc agen-
di rationem
fideles se-
quantur,
boni reli-
gionis cau-
sa,*

*imprimis
catholici
Galli.*

*Ducibus
Episcopis,
conveniant
in tuenda
jura reli-
gionis.*

*Plura ma-
la sequeren-
tur ex alia
agendi ra-
tione.*

Itaque codem studio curandi religionis bonum, quo ducitur Sancta Sedes in negotiis agendis colendisque mutuis officiis cum rectoribus civitatum, ducantur etiam fideles oportet in actibus non modo privatae vitae sed etiam publicae. — Quapropter, ubi id postulent religionis rationes, nec ulla iusta ac peculiaris caussa impediat, par est ut fideles ad rem publicam capessendam accedant ut eorum industria et auctoritate institutiones ac leges ad iustitiae normam exigantur, ac religionis spiritus et benefica vis in universam rei publicae compagem influat.

Iamvero quod ad catholicos attinet qui in Galliis sunt, dubitandum non est quin opportunum ac salutare opus gesturi sint, si, perpensa conditione in qua iampridem eorum patria versatur, eam velint inire viam quae illos ad nobilem, quem dixi, finem expeditius et efficacius perducat.

Ad hunc opus efficiendum, multum conferre potest sapiens et concors Episcoporum actio, multum fidelium ipsorum prudentia, plurimum denique vis ipsa progredientis aetatis. Interim vero, cum necessitas tuendi religionem et principia, quibus socialis ordo continetur, curas in praesens in se convertat virorum omnium, quibus humanae societatis salus cordi est, expedit summopere ut Gallici fideles in unum consentiant et hanc sibi provinciam suscipiant, in qua actuosas vires ac zelum magnanimum exerceant.

Qui vellent Ecclesiam viresque catholicas in aciem angustiorem deducere iisque uti ad concertationes studiis partium excitas, hi averterent animum a cogitatione bonorum maximorum ad quae vires illas converti oportet ; frustra illas absumerent nullum salutis vel gloriae fructum edituras ; gravem denique inferrent illustri Gallorum nationi perniciem, sinentes in ea imminue ea summa recti verique principia, ea opera egregia et catholicas traditiones, quae quasi communis gentis thesaurus validas illi semper praebuere vires et praeclara laudis ornamenta.

Ceterum mihi certa spes inest fore ut Galliarum catholici quorum compertum est eximum religionis studium et sin-


gularis caritas in patriam, probe percipient quae sint officia
sibi ab hac temporum necessitate imposita, et dicto audien-
tes pastoribus suis opus aggrediantur summa animorum
consensione et coniunctione virium, quae sola potest tuto
ad optatum finem perducere.

Hac fiducia fretus, sensus tibi profiteri gaudeo peculiaris
existimationis, qua sum **ex animo**

Amplitudinis Tuae

Romae ex aedibus Vaticanis die 28 Novembris 1890.

Addictissimus
M. Card. RAMPOLLA.



LITTERAE APOSTOLICAE
QUIBUS SEMINARIUM CLERICORUM
E DIOECESIBUS ITALIAE SUPERIORIS IN
URBE CANONICE CONSTITUITUR.

15
DECEMB.
1890.

*Pontifex
testatur se
clero infor-
mando, in-
stitutis ei
in urbe ex-
citatis,
præcipuas
semper cu-
ras impen-
disse.*

IN supremo quo fungimur ministerio nihil rei christianaee opportunius, nihil Nobis expetendum magis censemus, quam ut iuvenes ex omni regione in sortem Domini vocati, non sancta solum vitae disciplina, sed sincera etiam solidaque scientia instituantur, ut pro sui munera ratione ubique *lux mundi, sal terrae* esse possint, bonumque illud fermentum, cuius virtus inter fideles ad rectam sentiendi vivendique rationem diffundatur. Cum enim Ecclesia sit regnum a Christo Domino fundatum in salutem omni credenti, sit *columna et firmamentum veritatis*, oportet ut valida in ministris suis instrumenta habeat, quibus commode possit salutaria sua munera explere, et in fundamento veritatis ac iustitiae in quo ipsa constituta est, vicissim filios suos, omnesque accedentes ad se, per ministerium sacrorum virorum, stabili ratione ubique constituere. — Quamobrem nunquam Nos curas Nostras in hoc opus conferre praetermisimus, ut nempe domicilia ecclesiasticae disciplinae solidaeque doctrinae clericis non urbanis solum, sed etiam exterarum dioecesium in hac alma urbe paterent, in qua Principis Apostolorum Cathedra posita est, purique fontes ad doctrinas hauriendas Nobis vigilantibus cuique parati sunt; Nostrique munera omni tempore esse duximus, iis domiciliis non modo liberalitate, sed auctoritate etiam praesto esse, ubi maturum tempus visum est, ut eis legitimo esse iure, ad canonicam formam tribueremus.

*Collegium
a S. Carolo
conditum,*

*Insubriae
alumnis
secundum,*

Ex huiusmodi autem institutis studia Nostra hoc tempore merito postulat illud, quod olim collegii nomine ad S. Caroli in urbe excitatum, iuvenes clericos dioecesium Galliae Transpadanae seu Longobardicae quam vocant regionis, sacris disciplinis erudiendos exceptit. Hoc collegium

iam inde ab anno 1854 initium in urbe habuit, felicemque alumnorum proventum extulit quibus Insubria merito laetata est, sed rerum publicarum conversiones quae anno 1870 in urbe evenere, effecerunt ut contubernio alumnorum soluto, una simul collegium ipsum esse desierit. Id Nos aegre admodum et moleste ferentes, ab exordiis pontificatus Nostri, cum Odoardo Borromeo illustris memoriae, S. R. E. Cardinali collegii patrono, impense egimus, ut alumnorum contubernio restituendo operam navaret. Nobisque placere demonstravimus, si ea sedes non excipiendis solum ex Insubria clericis, sed etiam ex dioecesis Italiae superioris, nec non e dioecesis Mutinensis, Parmensis et Placentinae regionis universe pateret. Amplissimo quem diximus viro curante et divina adspirante benignitate, factum est, ut die 30 Octobris anno 1878 quo in loco collegium fuerat, in eo sub auspiciis sanctorum caelitum *Ambrosii et Caroli* Mediolanensium Antistitum, sacri seminarii initia dedicata fuerint, ex clericis adlectis dioecesum Italiae superae, qui opportunitate oblata fruituri in urbem mature convenierant.

Cum haec initia prospere cessissent, novi instituti rationibus et prosperitati Nos consulere cupientes, leges ei regendo descriptas et ad Nos allatas, auctoritate Nostra probavimus, spectatissimos viros disciplinae seminarii et rei familiaris administrationi curandae praeposuimus, laetumque solarium percepimus compertum habentes, alumnorum in virtute et doctrina progressus expectationi Nostrae respondere.

Nunc vero dilectus filius Noster Lucidus Maria S. R. E. Cardinalis Parocchi, Noster in urbe Vicarius et seminarii eiusdem Patronus, nec non Venerabiles Fratres Archiepiscopus Tit. Nicomediensis et Archiepiscopus Tit. Melitensis seminarii disciplinae et bonorum eius administrationi praepositi, precibus ad Nos delatis postularunt, ut clericalis instituti, quod iam annorum undecim experientia commendat, stabilitati et incrementis prospiceremus, eique iusti et legitimi seminarii ius, ad canonicas leges, auctoritate Nostra tribuere vellemus.

Nos itaque firma spe adducti, faustis inceptis Deum

*DECEMB.
1890.*

*urbe capta
solutum,*

*jam Italæ
superioris
clericis pa-
tens fausto
die instau-
ratum,*

*legibus ac
magistris
optimis, se
curante in-
structum,*

*Pontifex,
postulantib-
us ejus-
dem semi-
narii pa-
tronoo ac
præposito,*

*sub auspiciis SS.
Ambrosii et
Caroli su-
brema au-
ctoritate
constituit.*

incrementa daturum, precibus ad Nos allatis annuendum censemus, atque his litteris ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicae religionis, seminarium, quod ad S. Caroli in urbe sedem habet, excolendis dioecesum Italiae superioris, et Mutinensis, Parmensis ac Placentinae regionis clericis, sub auspiciis sanctorum caelitum *Ambrosii et Caroli*, ac sub Nostra et successorum Nostrorum auctoritate, erigimus et constituimus, atque eodem iure esse volumus, quo quae optimo et legitimo iure clericorum seminaria in urbe sunt.

*Quædam
de studio-
rum ratio-
ne diffinit.*

Cum porro maxime interesse ad plenum perfectumque mentis ingeniique cultum putemus, ut qui in seminarium cooptantur, rite ponant fundamenta doctrinae, quibus positis solidum deinde scientiae aedificium in suam et aliorum hominum utilitatem attollant, statuimus, ut ii emenso litterarum cursu, studiorum in seminario initium a philosophicis disciplinis ducant, ac exinde rite instructi et comparati ad aliarum disciplinarum regiones progrediantur.

Quod si interdum contigerit, ut iuvenes clerici philosophicarum disciplinarum cursu iam perfuncti, in seminarium recipi cupiant, et iustas ob caussas a communi praescripto solvi postulent, seminarii moderatoris munus erit, de iis ad Nos et successores Nostros referre, ut quod opportunum visum fuerit decernatur.

*Vota facit
ut alumni
expectatio-
ni sue res-
pondeant,*

Paternae autem Nostræ benevolentiae curas, quas seminario rite constituendo contulimus, acres stimulos admoturas confidimus seminarii alumnis, ut virtutis et doctrinae laude in dies magis augeantur ; quam ad laudem eos etiam impellere debet ea cogitatio, quod ad ministerium obeundum praesertim in ea regione vocantur, ubi sacerdotalis virtutis vestigia, olim a sanctis caelitibus *Ambrosio et Carolo* impressa non leviter, sed fixa ad sempiternum rei christianaे bene gerenda exemplar fuere, et in qua fertilis campus idemque amplissimus ad benemerendum de Ecclesia patet.

*Antistites
instituto li-
benter u-
tantur.*

Nec porro dubitamus, quin dioecesum Antistites, quarum alumnis haec ecclesiasticae disciplinae sedes in urbe constituta est, libenter auctores sint praestantibus e sacra

militia iuvenibus, ut oblata opportunitate impigre utantur : simulque spe ducimur, piorum virorum liberalitatem non defuturam ad novi seminarii praesidium, fulgente praesertim maiorum exemplo, qui olim ad collegii erectionem et tutelam, illustria suaे beneficentiae monumenta reliquerunt.


DEC¹⁵
MB.
1890.

*fideles illud
pecunia ju-
vent.*

Omnia demum quae hisce litteris Nostris statuimus et declaravimus rata ac firma uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritum et inane futurum decernentes, si quid super his a quoquam contigerit attentari, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 15 Decembris 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE PROBANDIS STATUTIS SEMINARII
IN OPPIDO COMILLAS, DIOECESIS
SANTANDERIENSIS ERECTI.

16
DECMB.
1890.

*Laudatur
Antonii
Lopez et
filii Clau-
dii Lopez
marchionis
de Comillas
pium con-
dendi se-
minarii
consilium.*

SEMPITERNAM dominici gregis salutem et spiritualia ac temporalia eius commoda, ex demandato divinitus Nobis licet immerentibus Apostolicae servitutis officio diu noctuque intendentes, omnia, quae in Domino ad id facere noverimus, libenti animo probamus, et suprema qua in universa Dei Ecclesia pollemus auctoritate confirmamus, electosque viros, qui pietate et christiana caritate acti, opibus suis salutaria, utilia ac frugifera christifidelibus opera instituerint, publice et palam omni laude dignos, ac bene de re catholica meritos testari gratum Nobis est et iucundum. De acerrimo bello, deque pravis impiorum hominum sacrilega inter se societate devinctorum in Deum et in Ecclesiam molitionibus, deplorans pientissimus vir Antonius Lopez et Lopez marchio de Comillas, et existimans sacerdotii ministerium in profligandos errores, in evertendas inimici hominis machinationes et fraudes, in civilis societatis informandos mores et in prosperitatem Ecclesiae praecipue ac potissimum conferre, ut quamplures etiam institui possent sacerdotes, qui sanis doctrinis, pollenti robustoque pabulo enutriti, viribus validi, egregiisque armis instructi religionis caussam fortiter ac sapienter agerent, suisque Antistitibus vel maximo essent auxilio et praesidio, optimum iniit consilium aedificandi in natali gentis suae oppido, quod in Santanderensi dioecesi positum vulgari nomine « Comillas » appellatur, amplum seminarium iis adolescentibus ecclesiasticam militiam praewantibus, omnium et singularum dioecesium Hispaniensium et dioecesium Americae olim Hispanae excipiendis, alendis et ad humaniores litteras severioresque disciplinas erudiendis, qui impares sint ferendis expensis in propriis

seminariis. Morte intercepto Antonio, quem hoc pietatis et religionis conspicuum opus posteritati commendabit, ab eius filio Claudio marchione de Comillas, clarissimi parentis sui vestigiis inhaerente singularique studio et pietatis ardore patris sui voluntati obtemperante, eximium hoc ab ipso patre suo excogitatum et incoeptum opus omni ex parte adeo perfectum absolutumque est, divitique censu donatum, ut iam spectabile christianaee artis monumentum extet ad religionis decus et utilitatem. Quo vero uberes lectosque ex hoc seminario fructus in aevum prodeant, ab eodem dilecto filio Claudio petitur, ut studia in hoc seminario rite absoluta iisdem perfruantur iuribus ac privilegiis ac si essent in aliis seminariis Hispаниcī expleta, utque eiusdem seminarii sacellum die festo sancti Antonii Patavini visitantibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam concedere velimus. Praeterea supplicatur ut praedictum pium institutum Nostro ac successorum Nostrorum romanorum Pontificum patrocinio protegatur, atque ad patrocinium hoc efficacius exercendum et ad firmorem operis saluberrimi tuitionem obtinendam nedum aedium seminarii sed et bonorum omnium pleno iure Nobis nostrisque successoribus romanis Pontificibus dominium perpetuo traditur. Petitur insuper ut ipsius seminarii leges et capita, suffragio Venerabilium Fratrum Archiepiscopi Burgensis et Episcopi Santanderiensis condita a Nobis probentur, atque, uti in hisce litteris continentur, auctoritate Nostra roborentur et firmentur, prout sequuntur. — I. Marchio de Comillas excellentissimi domini Antonii Lopez et Lopez pientissimi parentis votis obsecundans eiusdemque nomine agens, in oppido « Comillas » ac in aedibus a se propriis sumptibus extractis seminarium condit, in quo Hispani adolescentes et ex America Hispana oriundi alantur atque informentur, uti in posterum vineae Domini excollenda, suis cuiusque moderantibus Episcopis, dent operam. Quia vero bonum quod intenditur, non solum est peculiare unius dioecesis, sed maxime universale totius Hispaniae, ideo ex omnibus et singulis Hispanis dioecesibus iidem numero alumni admittentur. Plures vero ex peculiari aliqua

16
DEC EMB.
1890.

Exponuntur postulationes fundatorum,

*ac statuta
seminarii.*

*1.
De patria
recipiendorum alum
norum;*

dioecesi tunc solum admittere licebit, quum aliarum dioecesium alumni non sint, qui admitti petant, qua in hypothesi Santanderiensis dioecesis candidati ceteris anteferentur. —

^{2.}
*de gratis
alendis, de-
que sumptu-
bus propriis
admitten-
dis alum-
nis;*

2. Ut piissimi parentis memoria singulari honore commendetur, exoptat fundator, seminarium sancti Antonii Patavini titulo cognominari : quin vero omni ex parte exclusos velit convictores, qui propriis sumptibus alantur, illud maxime sibi obtinendum perficiendumque praestituit, ut hoc novum seminarium Tridentinis seminariorum opem ferat, sacerdotii candidatos gratis educando, qui inopiae causa sumptus suppeditare nequeunt ad studia confienda necessarios, quamvis alioquin ad sacerdotium se divinitus evocari sentiant. Unde iuvenes qui propriis sumptibus alantur, tum solum admittentur, quum experimento constet numerum alumnorum gratis alendorum insufficientem, nec respondere magistrorum tanto operi addictorum numero, neque amplitudini aedium in hunc finem extuctarum. Quare Patrono de hac re prius praemonito ianua huic alumnorum generi tunc quidem pandetur. — 3. Singulari indulgens amori, quo Pontificem romanum sumnum, in terris IESU CHRISTI Vicarium, conditor prosequitur, illud erigit ac constituit sub Pontificis maximi praesidio ac excellentissimi Nuntii eius in Hispania vices gerentis, qui perpetuo patroni officio fungatur : quod etiam magis consentaneum videtur, quum universali fini, quem seminarium praesefert, tum maxime alumnorum varietati, qui ex Hispania Hispanaeque Americae dioecesibus accurrent. — 4. Vult conditor et exoptat ut regimen, disciplina et tota seminarii administratio penes Societatis IESU Patres constituatur ; quod ut obtineat, proprietatem aedificii ad oppidum « Comillas » suis sumptibus extucti romano Pontifici Christi in terris Vicario, libenter tradit. Unde proprietas dominiumque reale penes Sanctam Sedem, ususfructus vero penes Societatem IESU perpetuo erit. Hoc vero aedificium ad alium finem destinari non poterit, praeter eum, quem primo capite expressimus. At vero si forte seminarium, alumnorum deficiente numero, rite progredi vel propter inopiam eosdem sustentare nequeat, tunc societati licebit aedificium ad alium finem

^{3.}
*de præsidio
seminarii
Romano
Pontifici
eiusque
Nuntio
oblato;*

^{4.}
*de magi-
sterio Soc.
Jesu com-
misso, de-
que ædibus.*

sive litterarium, sive religiosum instituti sui proprium destinare, re prius cum summo Pontifice communicata et oblatis patrono pecuniis quae supersint. Praeterea si forsan, vi illata maiori, seminario praefecti commissum sibi munus obire non valeant et alumni dimittendi sint, existens pecuniae summa, cumulatis redditibus aucta, alendis gratis pluribus alumnis impendetur, cum in posterum, redintegrata in Hispania Societate IESU, denuo seminarium constitui rite poterit. — 5. Societas pariter tot magistros suppeditare pollicetur, quot ad alumnos instituendos requirantur; easque tradet disciplinas, quibus opus est, ut in Tridentinis seminariis academici tituli obtineri possint. Eadem de caussa alios sacerdotes iuventutis recte instituendae studiosos adsciscere poterit, dummodo opportunum id duxerit, quos decenti stipendio seminarium donabit; ipsa vero societas pro laboribus mercedem nullam exiget, praeter alimenta honestasque vestes iis tribuenda, qui sese alumnis quoquo modo impendant: quae omnia et sumptus ad itinera eadem caussa suscipienda ex seminarii aerario depromentur. — 6. Si romanus Pontifex seminarii dominio et possessione deturbetur, sive per legem, sive per tribunalium sententiam, sive quacumque alia ratione, tum aedium proprietas cum fundis et reliquis subsidiis a fundatore donatis revertatur ad eundem fundatorem, vel ad legitimum eiusdem haeredem, qui titulo marchionis de Comillas decoretur: si vero huiusmodi titulus subsistere desierit, revertatur proprietas ad illum haeredem, qui praedictum titulum, si existeret, iure gessisset, quando Sancta Sedes illa proprietate expoliata fuit. Quod si evenerit, ille qui per hanc reversionis clausulam ad possessionem vocabitur et eius haeredes bona sic recuperata ad eum usum sive temporalem, sive perpetuum destinabunt, quem summi Pontificis consilium designabit. — 7. Marchio de Comillas eiusdemque tituli haeredes et illorum defectu parochus oppidi Comillas iure gaudebunt quatuor iunes praesentandi, qui, si requisitis dotibus ornati reperiantur, ad gratuitam in seminario educationem admittentur. Ex his iuvenibus duo ad fundatoris cognationem pertinebunt, duo vero in eodem oppido Comillas nati

¹⁶
DECEMBER.
1800.

5.
De magistris,

6.
*de casu
violati pon-
tificii juris,*

7.
*de jure
condito-
rum vel pa-
rochi oppi-
di,*

8.
*de studi-
orum ra-
tione,*
sint oportet. — 8. Quamvis nullae disciplinae repudiabuntur, quae ad pleniorum et ornatiorem ecclesiasticae iuventutis institutionem pertinent, illae data opera potissimum tradentur, quas postulat humaniorum litterarum, philosophiae et theologiae cognitio. Ius quoque canonicum explicabitur, dummodo alumnorum copia satis ampla non desit. Ad doctrinam autem quod attinet sive philosophicam, sive theologicam, magistri vestigia prement, quibus insistendum docent documenta, quae ex Apostolica Sede extremis hisce temporibus emanarunt: ordo denique scholarumque distributio ea futura sunt, quibus Academia Gregoriana hodie regitur. — 9. Instituta legesque quibus alumni dirigendi sunt ut his moribus instituantur, quos sacerdotii ministeria requirunt, erunt illa quibus Germanicum collegium summorum Pontificum praesidio tectum tot tamque egregios protulit sacerdotes. — 10. Conditiones ad alumnos cooptandos requisitae, animi corporisque facultates, quibus exornari debent, experimenta quibus subiicientur, obligationes quas in suam dioecesim suscipient, officia quae semel admissi a seminario expectare poterunt, sequentibus articulis expoununtur. — 1. Adscribendorum aetas duodecimum saltem annum expleverit necesse est; doctrina quae ad primam institutionem pertinet omnibus sit numeris absoluta; imo, ceteris paribus, illi anteferentur, qui superiorum disciplinarum cognitione ac potissimum linguae latinae peritia commendentur. — 2. Praeterea ut quis hoc seminarium ingrediatur, non modo requiritur necessario ut caelitus evocari significarit, idque moribus integerrimis confirmarit, verum etiam ut se legitimis natalibus honestisque parentibus ortum parochi testimonio demonstret. Huic autem testimonio terna documenta adiicientur: primum quod de baptismo ac confirmatione fidem faciat, alterum quo medicus nullo eum nec parentes contagioso morbo laborare testetur, tertium dioecesani Praelati facultas ut proprium seminarium deserat, siquidem in dioecesano seminario per aliquot annos studiis antea vacaverit. — 3. Simul cum his testimoniis petitio seminarium ineundi scripto dabitur moderatori; qua perspecta atque his investigatis quae
9.
*de institu-
tis legibus-
que,*
10.
*de requi-
sitis a coo-
ptandis a-
lumnis:*
- 1^o
*quoad aeta-
tem,*
- 2^o
*quoad mo-
res,*
- 3^o
*quoad ex-
perimen-
tum p̄co-
bendum,*

oportere videbuntur, certior petitor fiet, quid sibi praestandum uti sui experimentum praebeat apud delectos ad id muneris viros. — 4. Supellectilem, libros, victum et vestes seminarium suppeditabit ex quo die ad educationem gratuitam cooptatus fuerit alumnus; solummodo exigetur ut oppidum Comillas adveniat honesta indutus veste et tantum afferat pecuniae, quantum satis erit ut domum repeatat, si id forte expedire iudicabitur; hae vero pecuniae in thesauro deponentur, data prius parentibus cautione. — 5. Seminarium ingressis nunquam, nisi gravissima ex caussa superiorum iudicio aestimanda, per totum educationis tempus exire licebit. Si qui vero ad militiam proficiisci cogantur, praefectis integrum prorsus erit alios in eorum locum sufficere, quin egressos rursus admittere ulla ratione teneantur. — 6. Quibus mentis animique dotibus a Deo ditati sint, qua etiam vocatione praediti fuerint ad munus sacerdotale capessendum, alumni totis duobus primis annis probabuntur: quare per hoc tempus facilius dimitti poterunt. Si vero sexdecimum attigerint aetatis annum, menteque firma deliberaverint ad sacerdotalem dignitatem sibi comparandam serio adlaborare ut vocationi divinae talem viam demonstranti respondeant, tunc quidem Deo promittent, scriptoque testimonio promissum firmabunt, se post sacros ordines acceptos per quatuor saltem annos propriae dioecesi inserviendae fore addictos sic ut per hoc temporis spatium nulli ordini religioso nomen dare possint sine peculiari ac expressa dioecesani Praelati facultate in hunc finem concessa. — 7. Studiorum ratio, temporis partitio, ordo ac domestica disciplina singularibus statuentur legibus ad exemplar collegii Germanici, quarum crebra violatio caussa habebitur iusta ut dimittantur, quos dimittendos superiores existimabunt. — 8. Aequae itidem censebuntur dimissionis caussae, si quis ad studia minus idoneus comperiatur, si ad sacerdotium divinitus non vocari videatur, si mores corrupti, vel constans ignavia, vel ribellis in moderatores animus appareant. — 9. Biennio ante absoluta studia, doctrinaeque experimentis prius habitis, alumni ad sacerdotium evehi poterunt, si propriis eorum Episcopis expe-

¹⁶
DECMB.
1890.

^{4^o}
quoad li-
bros, vestes,
victum,
etc.,

^{5^o}
quoad man-
sionem in
Seminario,

^{6^o}
quoad pro-
bationes
subeundas,

^{7^o}
quoad stu-
diorum ra-
tionem,

^{8^o}
quoad di-
missionem,

^{9^o}
quoad or-
dinationes,

dire videatur ut iis assuescant sacris exercitiis, quibus in posterum vacabunt. Missarum vero stipendia, quas eo tempore celebabant, in seminarii aerarium conferentur, ipsius sumptibus impendenda. — 10. Postquam philosophiae finem fecerint alumni, si eorum et seminarii utilitati proficuum duxerit moderator studia intermittere per annum aut amplius, cogi poterunt, ut ibidem inferiores tradant disciplinas, atque ita ad superiores percipiendas aptiores evadant.

^{10.}
quoad in-
termissio-
nem studio-
rum;

^{11.}
de dotibus
a benefacto-
ribus conse-
rendis,

^{12.}
de tributo
orationum
conditori-
bus debito.

Pontifex
rite omni-
bus orato-
rum postu-
lationibus
annuit.


— 11. Si quis huius operis praestantia ductus ad salutiferum eius finem conferre voluerit, voti compos effici facile poterit, unius aut plurium adolescentium sumptus suppeditando, sive perpetuo, sive ad certum tempus; at solius moderatoris erit de dotibus iudicare quae ut seminario adscribantur requiruntur, tum etiam ut in eo perseverare ac progredi in studiis possint. Quum autem necesse sit ut horum aliquis e seminario discedat, pecuniae ad eius institutionem donatae aliis informandis attribuentur, quos beneficii dignos idem moderator iudicarit. — 12. Omnes denique alumni divinam pietatem exorare curabunt primum quidem pro summo benefactore, scilicet pro D. Antonio Lopez, eiusque liberis; deinde vero pro ceteris quorum ope eorum institutioni subvenitur. Itaque praeter eas preces quas memor suggerat animus, singuli, qui sacerdotes nondum fuerint, semel in hebdomada unam B. V. coronam, semel autem in mense sacram communionem hunc in finem offendent. Sacerdotum autem unus, prout moderator quemque designaverit, sacrum semel in hebdomada faciet. — Quae quum ita sint omnes et singulos quibus hae litterae Nostrae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de caussa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, et eidem dilecto filio Claudio benevolentiae Nostrae et quaesitae suorum praestantiae meritorum laudis testimonium exhibere volentes eius votis et supplicationibus annendum censuimus. Itaque seminarii a S. Antonio Patavino nuncupati in dioecesis Santanderiensis oppido « Comillas » erecti statuta, seu leges, decem comprehensa capitibus, quae

superius in his iisdem litteris inscripta sunt, motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra in omnibus rata habemus, probamus et suprema auctoritate Nostra firmamus, sancimus et inviolabiliter servari volumus, omniaque eidem seminario iura et facultates quibus cetera in Hispaniis canonice instituta seminaria, ex iure, vel privilegio, aut consuetudine utuntur fruuntur, auctoritate Nostra harum litterarum vi concedimus atque impertimus: supradictum autem seminarium a S. Antonio Patavino in Nostrum et successorum Nostrorum romanorum Pontificum dominium per praesentes litteras accipimus, itemque in tutelam ac patrocinium per Apostolicum in Hispaniis Sanctae Sedis Nuntium exercendum omnino recipimus. Denique memorati seminarii moderatori, paeceptoribus, alumnis, ceterisque eidem instituto addictis, nec non omnibus fedelibus qui die festo Sancti Antonii Patavini vere poenitentes et confessi, ac s. communione refecti sacellum huiusce seminarii a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis pie visitaverint et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuis futuris temporibus concedimus. Non obstantibus, licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Haec statuimus et concedimus: propterea decernimus has litteras Nostras firmas, ratas, efficaces uti sunt in posterum permansuras, atque irritum et inane esse si quid a quoquam contra eas contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 16 Decembris 1890, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

¹⁶
DECEMB.
1890.



DECRETUM
DE NONNULLIS ABUSIBUS QUI
IN INSTITUTA RELIGIOSA IRREPSE RANT
EVELLENDIS.

17
DECEMB.
1890.

Leyes non-nunquam a fine deficiunt.

Tales fuerunt in aliquibus mulierum ac laicorum congregatis ea quae pertinent ad conscientiae manifestationem,

ad confessarios ordinarios et extraordinarios,

ad directionem ipsissimis competentem.

QUEMADMODUM omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint, ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium congregationum, societatum aut institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice sacramento poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in constitutionibus ad tramitem ss. canonum praescriptum fuit, ut sacramentalis confessio in huiusmodi communitatibus fieret respectivis confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis

pacem et concordiam in communitatibus servandam soven-damque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in audiencia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praeposita die decimaquarta Decembris 1890 omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones constitutionum piarum societatum, institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit moderatoribus ac moderatricibus huiusmodi institutorum, congregationum ac societatum ut ex propriis constitutionibus, directoriis ac manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis superioribus ac superiorissim, cuiuscumque gradus et praeminentiae sint ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam ; subditisque e converso praecipit, ut superioribus maioribus denunciant superiores minores, qui eos ad id inducere audeant ; et si agatur de moderatore vel moderatrice generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

*DECemb.
1890.*

*Quare SS.
D. N. Leo
XIII decre-
vit :*

*1.
In his con-
gregationi-
bus a ma-
nifestatione
intima
conscientia
abstinen-
dum.*

*Statuta
contraria
delenda.*

*2.
Hæc ma-
nifestatio
a superio-
ribus nullo
prorsus mo-
do expeta-
tur;*

*secus de-
nunciantur
superiori-
bus majori-
bus.*

*vel S. Con-
gregationi
E. R.*

^{3.}
Libere fa-
cta permit-
titur.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

^{4.}
Confes-
sarii ex-
traordina-
rii conce-
dantur pe-
tentibus,

IV. Praeterea, firme remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios communitatum quod a sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in *Sess. 25 Cap. 10 de Regul.* et a s. m. *Benedicti XIV* statuitur in constitutione quae incipit « *Pastoralis curae* », Sanctitas Sua praesules superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum communites existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

<sup>ab ordi-
nariis de-
signandi.</sup>

^{5.}
Accessus
ad s. Sy-
naxim ad
solum con-
fessarium
spectat,
nullo modo
ad superio-
res, nisi ca-
su gravis
scandali
post ulti-
mam con-
fessionem
commissi.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissions vel prohibitions dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

^{6.}
Superiores
de frequen-
ti commu-
nione a
confessario
concessa
monendi
sunt.

Rationibus
huic licen-
tiae obstare
visti confes-
sario mani-
festatis, ejus
sententia
pareant.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad sacram Synaxim current diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis ; et quoties ob fervorem et spiritualem aliquius profectum confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianaee communionis, de hoc certiorem reddere superiorem teneatur ; quod si hic iustas gravesque caussas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi

communiones, eas confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis superioribus generalibus, provincialibus et localibus institutorum, de quibus supra, sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque huius decreti dispositiones observent sub poenis contra superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut praesentis decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur constitutionibus praedictorum piorum institutorum, et saltem semel in anno, statim tempore in unaquaque domo, sive in publica mensa, sive in capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.


Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Decembris 1890.

I. CARDINALIS VERGA PRAEFECTUS
✠ FR. ALOSIUS EPISCOPUS CALLINICEN.
Secretarius.

¹⁷
DECEMB.
1890.

7.
*Decretis
rebello*s* in-
currant*pæ-*
nas latas
contra su-
periores
Ap. Sed
mandata
violantes.*

8.
*Decretum
hoc, verna-
culo ser-
mo consti-
tutionibus
insertum,
quo annis
legatur.*



EPISTOLA

ad D^m Lud. Windhorst,

Franc. Branntz, Carol. Trimborn, praesides

unionis popularis catholicorum Germaniae.

23
DEC EMB.
1890.

Pontifex
laudat o-
pus ab e-
gregiis vi-
ris ad reli-
gionis et
patriae tu-
tamen su-
ceptum.

DIGNUM pietate et prudentia vestra ac temporum necessitati optime congruens opus a vobis aliisque egregiis viris susceptum esse ex litteris vestris, septimo idus Decembres datis, libenter agnovimus. Scilicet comperto discrimine, quod patriae vestrae et religioni impendet ex pravis doctrinis et ausu complurium qui Ecclesiae et socialis ordinis moliuntur exitium, opportune eorum consiliis pro virili parte decrevistis occurtere. Id vero scienter praestitistis sacrorum Antistitium ductu et auspiciis, constituta societate catholicorum hominum ex omni Germaniae regione, qui voce, scriptis et quavis legitima ratione et ope infensis illis hostibus communis salutis obsistant eorumque conatus irritos faciant. — Quum porro eiusmodi sit consilium a vobis initum, ut nemini probari nequeat cui religio et fides, cui mores et status rei publicae, cui res familiaris et vitae securitas cordi sint, merito auguramur nobile incepturn vestrum favore et suffragiis usurum cordatorum omnium virorum et fructus daturum salutis uberrimos. Neque laboribus studiisque vestris defuturam putamus opem summi Dei qui cum tueatur Ecclesiam suam et sanabiles fecerit nationes orbis terrarum, facere non potest quin eos amplectatur et diligit qui adversus rei christianaee et publicae eversores decertant. — Det Ille vobis volens propitius communium hostium tempus et opportunitates antecapere, ut salutari opera vestra prius consonentur vulnera, quae eorum spem alunt et caussam iuvant, quam illi quidpiam possint efficere ex iis quae cogitant ad summam patriae et Ecclesiae perniciem. Haec adprecantes

*Dei bene-
dictionem
ipsis adfu-
turam pol-
licetur.*

*Vota facit
pro felici
exitu tam
salutaris
consilii.*

ex animo vobis, dilecti filii, et ceteris pio vobiscum foedere
consociatis Apostolicam benedictionem paternae caritatis
testem peramanter in Domino impertimus.

*23
DECEMB.
1890.*

Datum Romae apud S. Petrum di 23 Decembris 1890,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



ALLOCUTIO

ad S. R. E. Cardinales

DE LUCTA INGRAVESCENTE IN ITALIA.

23
DECEMB.
1890.

Pontifex
vota votis
repedit.

Utinam
natus Sal-
vator mun-
do et Eccle-
siae pacem
conferat!

Interim
in lucta
Pontificem
zelus bono-
rum sola-
tur.

Ecclesiæ,
utpote Ita-
licæ inimi-
cae, magis
in dies ad-
versatur
impietas.



UGURIO più bello e meglio appropriato ai bisogni non poteva farci il Sacro Collegio di quello espresso or ora da lei, Sig. Cardinale. Accogliendolo col più vivo gradimento, facciamo anche Noi caldi voti al cielo perchè lo secondi propizio e nella più larga misura lo compia.

Certo la gioia che suole apportare al mondo cristiano il ritorno di questi giorni sacri alla nascita del Redentore divino, è da molti anni turbata dalle molteplici e gravi tribolazioni che soffre la Chiesa nel mondo, e più specialmente nelle nazioni più largamente da essa beneficate. — Oh piacesse al cielo che colle pure gioie, che sgorgano da questo mistero di amore e di salute, tornasse ad allietare il mondo quella pace universale di cui esso godeva all'apparire del Salvatore ! Piacesse al cielo che, deposti gli odî e i sospetti contro la Chiesa, si cessasse dall'osteggiarla e la si lasciasse libera di far sentire alla terra il conforto della sua sovrumana virtù !

Ma intanto, anche tra l'insuriar della lotta, Iddio benedetto non lascia di sostenere ed avvalorare chi fedelmente combatte per la sua causa. — Ed anche a Noi, nelle amarezze dell'ora presente, è letizia e consolazione grandissima quando vediamo i cattolici, illuminati dalla Nostra parola, scossi da quello che accade tuttò intorno a loro, mostrarsi pari alla gravità del pericolo, e mettersi risolutamente per la via voluta da Noi.

E su questo punto sentiamo il bisogno d'insistere di nuovo, specialmente riguardo all'Italia ; perchè qui, dove è il centro della fede e della religione divina, è pure il centro delle ostilità e delle offese nemiche ; e questa condizione di cose speciali doveri impone ai cattolici italiani. — A quale scopo si miri, quanto cammino siasi fatto, che cosa si debba aspettare di giorno in giorno, lo abbiamo colle stesse parole de-

gli avversari ampiamente mostrato nella recente Nostra Enci-
clica. Ogni giorno che passa apporta una novella prova della
giustezza delle Nostre previsioni. Tutto ciò che ha carattere
ed impronta cattolica è dannato all'ostracismo, fino al punto
da venir proclamato *come sacro l'odio contro i cattolici*, i
quali perciò sono come posti al bando e considerati come i
peggiori nemici d'Italia. — Così nemico d'Italia non è chi in
mezzo al popolo dissemina in tanti modi l'irreligione, e con
mano sacrilega osa rapirgli gl'immensi benefici frutto della
carità di GESÙ CRISTO e della sua Chiesa ; non chi si fa
maestro e propagatore d'immoralità fra le moltitudini ; non
chi sbriglia le più perverse passioni ed insegnna a scuotere il
freno di ogni autorità ; non chi spinge la nazione sopra una
via che la conduce infallantemente alla miseria, al decadimen-
to e chi sa a quali catastrofi ; — ma in quella vece ne-
mico d'Italia è chi, non osteggiando in alcun modo neppur
nell'ordine politico la sua grandezza, ne vuol salva innanzi
tutto l'avita fede e l'unità religiosa, prima sorgente della sua
prosperità ; chi ama veder fiorire dovunque la santità del
costume ; chi vuole sia messo un argine alla sfrenata licenza
che da ogni parte dilaga. Ecco i nemici d'Italia ! — Pare
impossibile tanto sconvolgimento d'idee ; ma è un fatto che
così da tanti si pensa ; questo è il linguaggio che si sente ri-
petere tuttodi. Quello che fa più meraviglia si è che agli
italiani di senno, non imbevuti di spirito settario, faccia
all'intelletto sì denso velo la passione politica da far loro
vedere con indifferenza le sorti della nazione poggiate sopra
fondamenti del tutto opposti alle sue più belle tradizioni e
alla gloriosa sua storia. Quello di cui non possiamo ca-
pacitarci si è che tanti, sinceramente desiderosi del benessere
e della grandezza della patria loro, non si accorgano che
questi beni non solo sono compatibili coll'ossequio alla
Chiesa e coll'obbedienza al romano Pontefice, ma che il
vivere in pace con esso è anzi la via migliore per con-
seguirli.

In tanto scompiglio che agita e confonde le menti, è com-
pito dei cattolici rimaner fermi nei loro principî, ed opporre,
disciplinati e concordi, all'audacia delle sette tutta la resi-

DECEMBER.
1890.

*Ubi sint
veri Italæ
hostes.*

*Mirum
sane quod
viri neque
sectis addi-
cti, neque
ingenio or-
bati hanc
veritatem
non cer-
nant.*

*Boni bonis
se jungant
ad defen-
dendam re-
ligionis li-
bertatem.*

*Agitur
enim de re-
ligione, non
de que-
stione poli-
tica.*

stenza di cui sono capaci. Non si tratta già d'impugnare i diritti di alcuno : la Chiesa più di ogni altro li rispetta tutti, ed inculca ai suoi figli di rispettarli. Piuttosto chi ha motivo di lamentarsi è appunto la Chiesa, la quale vede da lungo tempo in mille guise violate ed oppresse le più sacre ragioni della religione e della coscienza cristiana. — È quindi legittima difesa il sostenerle ; ed invano si tenta di svisare il carattere di questa lotta col mettere in campo *interessi umani e fini politici* ; quasi che non si trattasse d'interessi eminentemente religiosi anche quando si rivendica da Noi la sovranità pontificia, a tutela dell'indipendenza del Capo della Chiesa e della sua libertà. — I cattolici pertanto non si lascino prendere a tali insidie, né intimidire dalle minacce. Gli uomini di senno e l'avvenire diranno che, propugnando la causa della religione e della Chiesa, i cattolici resero il più segnalato servizio anche alla patria.

*Sacro Col-
legio Ponti-
fex benedi-
cit.*

Con questi sentimenti facciamo al Sacro Collegio largo ricambio dei migliori auguri, e dal cielo invochiamo su di esso l'abbondanza dei divini favori, dei quali intendiamo sia pegno l'Apostolica benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a tutti e ai singoli suoi membri, come pure ai Vescovi, ai Prelati e a tutti gli altri qui presenti.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE SACRIS SOLEMNIBUS PROXIMO
MENSE IUNIO IN HONOREM SANCTI
ALOISII GONZAGAE PERAGENDIS.

OPPORTUNE quidem et auspicato contingit, ut undecimo calendas Iulias hoc anno sacra solemnia in honorem Sancti Aloisii Gonzagae, trium saeculorum a beatissimo exitu eius elapso spatio, sint memori pietate peragenda. Nuntiatum Nobis est, ex faustitate huius eventus mirabili amore pietatisque studio exarsisse animos christianorum adolescentium, quibus optima sane huiusmodi occasio visa est, ut suam in caelestem iuventutis Patronum voluntatem et reverentiam multiplici significatione testarentur. Et id quidem evenire videtur non iis tantum regionibus, quae Sanctum Aloisium terris caeloque genuere, sed late ubicumque Aloisii nomen et sanctitatis fama percrebuit. Nos, iam a tenera aetate Angelicum iuvenem summo pietatis studio colere assueti, cum haec novimus periucundo laetitiae sensu affecti sumus. Deo autem opitulante, confidimus eiusmodi sollemnia non vacua futura fructu christianis hominibus, nominatim adolescentibus, qui Patrono tutelari suo honores cum habebunt, in cogitationem facile deducentur clarissimarum virtutum, quibus ille quoad vixit ceteris in exemplum enituit. Quas quidem virtutes cum secum cogitent et admirantur, sperandum est fore ut, adiuvante Deo, animum mentemque suam ad eas velint informare studeantque fieri imitatione meliores. Neque certe catholicis iuvenibus proponi potest praestantius ad imitandum exemplum, illisque locupletius virtutibus quarum laude florere iuvenilem aetatem desiderari maxime solet. Ex vita enim et moribus Aloisii possunt adolescentes documenta plurima capere, unde ediscant, qua cura et vigilancia vitae integritas et innocentia sit servanda, qua constantia castigandum corpus ad restinguendos cupiditatum ardores, quo modo despiciendae divitiae contemnendique

JANUAR.
1891.

*Pontifex
lætatur sæ-
cularia se-
sta S. Aloy-
sii Gonz.
tanta pie-
tate incen-
dere orbis
fidelium
animos.*

*Juventutis
Patrono ip-
se devotissi-
mus, optimos ex his
festivitatibus fructus
sperat colli-
gundos.*

*Juvenum
exemplar
diserte cele-
brat.*

honores, qua mente atque animo tum studiis vacandum, tum cetera omnia aetatis suae officia et munera implenda, quodque his praesertim temporibus maximi est momenti, qua fide, quo amore sit Ecclesiae matri et Apostolicae Sedi alhaerendum. Siquidem Angelicus adolescens seu domesticos inter parietes degeret, seu nobilis ephebus in aula Hispanica versaretur, seu animo virtute et doctrina excolendo operam daret in Societatem Iesu, abdicato principatu, adscitus, ubi, quod in votis habuerat, et praeclusum dignitatibus aditum et vitam omnem proximorum saluti sibi unice impendendam esse gestiebat, talem in omni vitae genere sese impertiit, ut facile ceteris omni laude antecelleret, et praeclera relinquenter sanctitatis argumenta. Quapropter, sapienti sane consilio, qui christiana iuventuti instituenda et erudienda praeficiuntur Sanctum Aloisium proponere solent tamquam nobilissimum ad imitandum exemplar, obsequentes consiliodecessoris Nostri Benedicti XIII, qui iuventuti studiis dedicatae praecipuum Patronum caelestem Aloisium constituit.

*Sodalitates
ad S. Aloy-
sti festa ce-
lebranda
institutas
laudat.*

*Puerorum
ac puella-
rum zelum
excitat.*

Quare egregiam sane meritorum laudem sibi comparare videntur illae catholicorum iuvenum Societates, quae non modo in italicis sed etiam in exteris urbibus sunt institutae eo proposito, ut huiusmodi Aloisiana solemnitas singulari cultu celebretur. Nos non latet quantum studii opera eque illae contulerint in apparandis honoribus, qui toto orbe catholic Angelico Iuveni deferentur, et quantam adhibeant curam, ut catholicorum pietate pariter ac numero praestent piae peregrinationes vel ad natale solum Aloisii, vel ad hanc almam urbem, quae castas eius exuvias asservat et colit, suscipiendae. Pueris etiam, ut accepimus, puellisque oblata est ratio testandi Aloisio puri amoris et pietatis suae quasi primitias; pagellae enim late sunt diffusae, augustis iam nobilitatae nominibus, in quibus ipsi se parentesque tamquam famulos et clientes inscribant. Singulari huic in re optima ardori et sanctis eiusmodi propositis et votis cupimus atque optamus ut bonus faustusque, iuvante Deo, exitus obtingat. Interea cum admotae nuper sint ad Nos preces, ut in uberiorem animarum fructum caelestibus Ecclesiae thesauris hanc solemnitatem ditare et decorare velimus, Nos

piis hisce precibus benigne adnuendum censuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui triduanis quotidie, vel quinquies saltem novendialibus supplicationibus, quae habenda sunt ante Aloisiana sollemnia, diebus a respectivo loci Ordinario designandis, interfuerint, et vel ipso die festo vel uno ex dictis diebus ad cuiusque arbitrium sibi eligendo vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quamlibet ecclesiam vel publicum Oratorium, ubi festum S. Aloisii celebrabitur, devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Dominino concedimus. Iis vero fidelibus, qui corde saltem contriti pias peregrinationes ad memorata loca confecerint, et parvulis etiam pro eorum captu eorumque parentibus, qui nomina ad promerendum Aloisii patrocinium inscripserint, dummodo triduanis vel novendialibus supplicationibus ut supra dictum est adstiterint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitiarum relaxations etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibetur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die
I Ianuarii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

JANUAR.
1891.

*Postulatio-
nibus an-
nuens, Pon-
tifex conce-
dit tum pe-
regrinanti-
bus Romam,
tum id non
valentibus,
indulgen-
tias*

*animabus
patienti-
bus in pur-
gatorio pro-
futuras.*

EPISTOLA

ad Salvatorem Archiepiscopum Genuensem

DE FESTIS IN HONOREM CHRISTOPHORI

COLUMBI.

¹⁰
JANUAR.
1891.

Pontifex
laudat e-
gregie festa
in honorem
Christ. Co-
lumbi Ge-
nuæ cele-
branda mo-
do congruo
indolit tanti
viri.

Incepta
Columbi
evangelico
spiritu du-
cta.

Catholicas
fore colum-
binas so-
lemnitates
haud dubi-
tat.

OMPERIMUS libenter ex litteris a te datis pri-
die nonas Ianuarias, studiose te operam dare ut
parentur istic in posterum annum saecularia so-
lemnia, quibus memorabile celebretur iter quo
Christophorus Columbus ante annos quadringentos ignotas
antea regiones inaversa orbis parte detexit.—Sane hic honor,
quem plures etiam alibi certant persolvere immortali viro,
imprimis tribuendus illi est in ea civitate unde ortum habuit,
cuius praeclarum est ornamentum et decus. Hinc vehemen-
ter probavimus consilium a te initum constituendi coetum
lectissimorum civium qui eam curam suscipiant, ac perli-
benter legimus pastorales litteras, quas ea super re dedisti
ad clerum et populum dioecesis cui praesides. Praesertim
vero prudentiam ac pietatem tuam in eo dileximus, quod
maximae tibi curae sit ut haec celebratio ea ratione rituque
fiat qui naturae rei a Columbo gestae, eius ingenio et spi-
ritui quo agebatur conveniat. — Certissimis enim testatum
est historiae monumentis, ipsum ideo arduum opus fuisse
aggressum ut dissitis iis plagis affulgeret evangelii lumen
et ipse aliqua ex parte minister fieret voluntatis Christi qui
discipulis suis praecepit: «Euntes in mundum universum,
praedicate evangelium omni creaturae.» Quare iniuriam
egregii viri memoriae et nomini inferret quisquis nihil nisi
profanum in eius inceptis agnosceret, eumque iisdem ornaret
honoribus qui haber solent iis quos nulla tetigit cura catho-
licae fidei, quique sola ingenii et constantiae laude florue-
runt. — Enimvero quum Nobis perspecta sit religio et
mentis sagacitas qua Ligures tui et ceteri Itali praestant,
non dubitamus quin passim intelligent tanti viri memoriae
et honori optime per te fuisse prospectum, adeoque studiis
suis ultro faveant ferantque suppetias piorum virorum coe-

tui a te constituto. Confidimus porro per hanc solemnitatem et proposita Columbi exempla quamplurium animos incensum iri ut pro virili quisque parte contendat amplificare Christi regnum in terris. Interim praedicto coetui propitiam superni Numinis adprecamur opem, eique non secus ac tibi, Venerabilis Frater, ac reliquo clero et populo tuae vigilantiae concredito Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Ianuarii 1891,
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



PISTOLA

ad Cardinalem Parocchi, Urbis Vicarium, et ad
Curatores Saecularium Solemnium S. Gregorii
Magni.

*FEBRUAR.
1891.*

*Pontifex
testatur
gratissimas
sibi fore so-
lemnitates
saeculares
Gregorii
Magni ad
Cathedram
Petri ere-
ctionem re-
colentes.*

*Laudes
perillustris
sui decesso-
ris dicit.*

*Solemni-
tibus ce-
lebranda
sunt tanti
Pontificis
exempla, et
Romæ ca-
tholicae di-
gnitatis.*

PRAECLARUM studium quo incensi estis, uti ex vestris litteris agnovimus, ad memoriam celebrandam S. Gregorii Primi, huius Romanae Ecclesiae Antistitis, saeculo tertiodecimo exeunte a natali summi sacerdotii eius, Nostrae in eum venerationi Nostrisque votis apprime respondet. Non potest enim non esse Nobis gratissimum singulares honores haberi clarissimo illi Ecclesiae lumini, et huius Romanae Sedis ornamento, cuius praestantibus meritis aeternum laudis testimonium tribuit, Magni cognomine indito, grata benevolentia aequalium, confirmavitque concors admiratio posteritatis. Datus quippe ille catholico orbi divinitus visus est, ut divinae benignitatis consiliis et suscipiendis et perficiendis maximis rebus ad Ecclesiae et humanae societatis opem difficilimis temporibus, fidus administer adlaboraret. Ipso enim operam navante, revocatae ab erroribus gentes, dissita regna ad Christi fidem traducta, caelestis doctrinae rivis irrigata saecula; flagrantissimi eius pro re christiana studii uberrimos cepere fructus orientis Ecclesiae, cepit Hispania et Gallia, cepit Africa magnis asperitatibus et incommodis obnoxia; et dum Romani Imperii mole disiecta, vis barbarica in hac Italia dominabatur, ipse in magna rerum perturbatione magnisque temporum aerumnis animi excelsi et invicti magnitudine christianae humanitatis assertor et propagator, solator calamitatum, propulsator iniuriarum fuit; per eum vis et arma potentium veritati et iustitiae cessere, eiusque patrocinio felix haec regio praesidium, solatium, salutem invenit. — Dignissimum itaque tanti decessoris Nostri meritis et pietate vestra consilium a vobis susceptum est, cum memoriam initi ab eo pontificatus post decem et tria saecula oblatam publicis honoribus prosequi decrevistis: par est enim insignia decora quae ad Ecclesiae glo-

riam pertinent, a fidelibus recoli in lucemque proferri, opportunum etiam rationi temporum, quibus firmari animos oportet fortibus et constantibus exemplis, nec minus dignitati huius urbis consentaneum de eo viro gloriari, quem nascentem excepit, cuius mortales servat et colit exuvias, cuius supremi ministerii paternas curas opemque praecipue experta est, nec non praestantibus in rem christianam meritis novum sibi honorem et gratiam apud omnes gentes sensit accessisse. — Et quoniam amplissima est seges gloriae eius, a divina benignitate profecta, ex qua bona cuncta dimanant, percommode ac merito censuistis, immortales ante omnia Deo gratias habere qui tantam virtutem in Ecclesia sua excitavit, ac mira per eum opera et salutaria perfecit, deinde monumenta ingenii virtutisque Pontificis incliti rerumque quas gessit amplitudinem, quantum fieri potest, in doctorum hominum conventibus commemoratione et praeconio complecti; nec praetermittere immortalia caritatis eius exempla caelestibus illustrata prodigiis, quibus honorandis non litteras sed facta verbis potiora, pium scilicet caritatis epulum adhibendum felici consilio statuistis. — Macti igitur estote praeclaro pietatis studio quo affecti sunt animi vestri, atque efficite ut sicut ad gloriam Pontificis Magni quem colitis, ita etiam ad utilitatem et documentum aetatis nostrae res ab illo gestae, commemoratione vestra, reviviscant. Nihil enim aevo nostro utilius et salutarius, quam si ex Magni Gregorii saeculo documentum capiatur, quantum divina Ecclesiae virtus pollet privatis ac publicis malis vel avertendis vel sanandis, ubi ipsa queat amotis impedimentis suam opem erga homines exercere, et quo magis silentibus in eam infensis studiis, rationi et aequitati relinquitur locus, eo magis tranquillitati, humanitati et faustitati civitatum et imperiorum consultum esse. Non enim cum mundo et sapientia saeculi, sed cum Ecclesia columna et firmamento veritatis est Christus, omnium instaurator sive quae in caelis sive quae in terris sunt, a quo qui defecerunt quid valeant efficere tristis rerum experientia, et labes ac detrimenta nostrorum temporum docent. — Ad horum malorum conspectum, Nos vota Nostra pro com-

*Magnæ
inde gratiæ
Deo, totius
boni auto-
ri agenda,
atque in-
clyti, Pon-
tificis mo-
numenta
colenda.*

*Quæ pie
recogitata
præsenti
etati, mul-
tiplici ti-
tulo, peru-
tilia erunt.*


*Ulinam,
intuitu me-
ritorum*

*Gregorii,
Deus Eccle-
siam pro-
cellis eri-
piat.*

muni hominum salute ad Deum effundere non intermit-timus, nec dubitamus eadem vos Deo in solemnibus quae acturi estis oblaturos, ab ipso postulantes ut quemadmodum S. Gregorii Magni consilio, labore, constantia publicorum malorum vis et acerbitas eius aetate resedit, ita adversi fluctus, quibus nunc miserrime iactatur Ecclesia et humana societas, viro sanctissimo in caelis suffragante conquiescant. Hac spe erecti omnia fausta piis solemnibus quibus operam datis ominamur, et Apostolicam benedictionem sincerae dilectionis Nostrae testem tibi, Venerabilis Frater Noster, vobisque, dilecti filii, singulis universis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Februarii 1891
Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

LEO PP. XIII.



ALLOCUTIO

ad S. R. E. Cardinales

DE PONTIFICATU GREGORII MAGNI,

SUI PONTIFICATUS GLORIOSO EXEMPLARI.

Si è compiuto in questi giorni per Noi un altro anno di Pontificato. Anch' esso passò tra gravissime sollicitudini e amarezze per le contrarietà di ogni genere suscite dovunque contro la Chiesa. L'anno che comincia, se pur la divina bontà Ce lo accorda, non sappiamo bene che cosa sia per apportarci ; ma le condizioni presenti dell' umana società Ce lo fanno presagire secondo anch' esso di nuove tribolazioni. — Giungono pertanto opportuni e Ci sono altamente graditi i voti che in tale ricorrenza innalza a Dio per Noi il Sacro Collegio dei Cardinali, e che per la bocca del suo Decano Ci ha testè manifestato. Dei quali voti accresce agli occhi Nostri il valore e nell' animo Nostro il gradimento l'averli voi affidati alla potente intercessione del Pontefice S. Gregorio Magno, ora che pel XIII^o Centenario della sua elezione rivivono e s' illustrano le gesta di quel memorando pontificato.

Lungi da Noi l' ombra pur del pensiero che miri a stabilire il più lontano paragone con un Pontefice per tanti titoli così grande. La sua grandezza non può essere per Noi che stimolo a seguirne da lungi gli splendidi esempi. — I tempi però in molte cose si rassomigliano ; e da questa somiglianza giova trarre ammaestramenti e conforti per i guai e i bisogni dell' epoca nostra.

Allora, come adesso, la Chiesa e il Pontificato ebbero nemici accaniti da combattere : i Longobardi e gli altri barbari esercitarono per lungo tempo la pazienza e la costanza di S. Gregorio : ma forse più sensibili sofferenze gli cagionarono gli altri nemici interni, meno feroci dei barbari, ma più perniciosi ed astuti. I barbari infine alla predicazione

MARTII
1891.

*Præteriti
anni an-
gustias me-
morans,
Pontifex
annum no-
vum vix
faustiorem
expectat.*

*Vota S.
Collegii,
Gregorio
Magno
commissa,
pergratus
accipit.*

*Tempora
presentia
temporibus
Gregorii
hanc dissi-
milia pro-
ficitur.*

*Confert
utrimque
hostes Pon-
tifici devin-
cendos.*

evangelica, deposta la nativa ferocia, si mansuefecero, si convertirono alla fede, rivestirono sentimenti cristiani e costumi civili. Quelli invece in mezzo alla luce della verità rimasero ciechi, ostili al Pontefice e ribelli alla Chiesa. Di questi nemici è ai tempi nostri più che mai grande il numero, raffinata la malizia, implacabile l'odio ; ma le male loro arti, le insidie, gli assalti non prevarranno contro la roccia su cui divinamente è fundata la Chiesa : essa anche oggi uscirà dall' aspra lotta che sostiene, incolume e vittoriosa.

*Laudat
zelum et o-
pera Grego-
rii Magnia
quibus ipse
exemplar
sumpsit, in
Oriente, in
Anglia.*

Del resto Gregorio, anche in mezzo ai più fieri nemici e a difficoltà senza numero del suo travagliatissimo pontificato, era pieno di sollecitudine per tutti i popoli della terra ; e mentre prodigava le sue cure all' oriente perchè conservasse integra la fede, salda l'unione colla Chiesa di Roma, centro di tutte le altre ; in Inghilterra mandava uomini apostolici ad arricchirla dei benefici della fede, i quali poi fecero di quella nazione la terra dei Santi. Sull'esempio di tanto Pontefice anche Noi portiamo il più vivo interesse alle illustri Chiese di oriente, affinchè strette al centro della cattolica unità riforiscano di vita novella. Anche Noi coi voti più caldi del Nostro cuore affrettiamo il momento in cui i consolanti progressi della fede cattolica in Inghilterra tocchino la meta desiderata.

*Ut Leo
Magnus
Attilam,
Gregorius
Agiul-
phum ab I-
talia conti-
nuit, et
populum
suum a
verxationi-
bus bizan-
tinis vindic-
avit.*

*Ipsa pari-
ter Italiam*

Ma S. Gregorio fu altresì ai suoi tempi la salute di Roma, il presidio del popolo italiano. Come già la grande figura di S. Leone Magno aveva fatto indietreggiare sul Mincio Attila, flagello di Dio, così la maestà e la parola di S. Gregorio fece retrocedere fino al Ticino Agilulfo e le sue genti che dopo avere empito tutto all'intorno di devastazioni e di stragi, erano sul punto di dare l'assalto all' eterna città. E del popolo italiano, quasi abbandonato dagl' imperatori di Bisanzio ed angariato dai loro rappresentanti, Gregorio prese sempre le difese, ne patrocinò le ragioni, si oppose agli oppressori, provvide ai bisogni ed incoraggiò i Vescovi italiani a fare altrettanto. Così anche la storia di quei tempi luminosamente conferma quello che Noi non abbiamo mai cessato di ripetere all' Italia dei giorni nostri ; che cioè la

Chiesa e i Pontefici sono di essa i più insigni benefattori e i migliori amici ; e che combatterli ed avversarli come nemici, non è solo empietà, ma vera *stoltezza politica*.

*a pessimis
inimicis li-
berare co-
natur.*

Finalmente, come ella, Signor Cardinale, ha ricordato, S. Gregorio coll' opera e la parola si oppose alla schiavitù, e non risparmiò sacrifici per ridonare, per quanto era in suo potere, agli schiavi la libertà. Ma per questa parte le condizioni dei tempi nostri sono molto migliori ; la lotta contro la schiavitù incontra il più grande favore : principi e governi vi sono ora impegnati ; e Noi che nel tempo del giubileo sacerdotale incoraggiammo con lettere encicliche il disegno di dare la libertà agli schiavi del Brasile, non abbiamo di poi nulla omesso per il trionfo, in Africa specialmente, di questa grande opera di fede e di civiltà. L'azione della Chiesa, educatrice e moralizzatrice per eccellenza, è indispensabile per la riuscita : sarebbe vano abolire la tratta, i mercati, la condizione servile, se gli animi ed i costumi rimanessero barbari. Perciò i missionari cattolici hanno su questo campo il loro posto principale e quasi privilegiato : su questo campo i missionari di tutte le nazioni dovrebbero convenire, ed è grandemente a desiderare che loro non manchi il favore e l' aiuto dei rispettivi governi. Lode a quelli che già lo prestano e sono disposti a prestarlo. — In quanto a Noi, se benigno il Signore Ci farà toccare il giubileo episcopale, le risorse che in tale occasione la generosità dei cattolici vorrà mettere nelle Nostre mani, destineremo in larga parte a questo nobilissimo scopo. Esso mirabilmente collima colla propria e divina missione della Chiesa, che è quella di dilatare sulla terra il regno di Gesù Cristo, e di fare gustare il frutto della redenzione a chi siede tuttavia nelle tenebre e nell' ombra di morte.

*Ut olim
Gregorius,
et ipse pro
libertate
contra ser-
vitutem de-
certavit in
Brasilia
deletam, in
Africa de-
lendam,
quidem ope
religionis.*

Piaccia al Signore, per l'intercessione del S. Pontefice Gregorio, dare prosperità ed incremento a queste opere che i tempi reclamano, e coronarle del più lieto successo.

*Huic scopo
munificen-
tias anni
jubilaris
instantis
magnum
partem at-
tribuet.*

Con questa speranza ripetiamo al Sacro Collegio il gremium de' suoi voti; ea tutti i suoi membri, ai Vescovi, ai Prelati e a tutti qui presenti impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica benedizione.

*Invocato
Gregorio
Magnus,*

*S. Collegio
benedicit.*

EPISTOLA

ad Cardinalem Fredericum Fürstenberg, Archiepisc. Olomucensem, et Franciscum a Paula Schönborn, Archiepisc. Pragensem, et venerabiles Fratres Archiepisc. et Episc. Imperii Austriaci.

DE QUIBUSDAM CAPITIBUS CONGRESSUI ANTISTITUM COMMENDANDIS.

MARTII
1891.

Pontifex
gaudia sua
doloribus
mixta te-
statur.

Describit
impiorum
consilia et
mala inde
oriunda.

IN ipso supremi Pontificatus, quo providens Deus Nos auxit, exordio, universitatem catholici orbis contuentes, habuimus equidem quod laetaremur tam multa esse tamque egregia in omni recte factorum genere vel studia vel opera, in quae, Deo iuvante, sacri pastores et uterque clerus fidelesque homines sedulo incumberent : neque tamen sine acerba fuit aegritudine conspexit Ecclesiae hostes, pessimo foedere coniuratos, moliri ac tentare omnia, ut admirabile istud aedificium, quod perfugio humani generis ipse extulit Deus, convelarent atque adeo, si fieri posset, exscinderent. — Quae nimis longe lateque in Ecclesiam Christi ardet dimicatio, etsi variis pro varietate locorum artibus armisque exercetur, hanc demum unam habet eamdemque rationem belli praescriptam ; a familiis, a scholis, a legibus, ab institutis vestigia religionis delere omnia, Ecclesiam ipsam facultatibus suis et insigni qua pollet in commune bonum virtute spoliare, perniciosissimam errorum pestem in omnes venas domesticae civilisque communitatis infundere. Ab aliis variis iam nihil temperatum est, infinita licentiâ ; qui plurimi acresque in iura, libertatem, dignitatem Ecclesiae, in Episcopos omnesque cleri ordines, in auctoritatem maxime et principatum romani Pontificis invaserunt. Ex tantis catholico nomini iniuriis illatis, multa in nationes ingentiaque mala profluxerunt et profluunt : in iis dolendum, ut serpat latius opinionum perversitas, comitesque improbitas et seditio spiritus tollant, atque inde rebus publicis

imperiisque pericula impendeant quotidie maiora. Neque alia sane erant consecutra: nam debilitato, eove deterius, reiecto firmissimo civitatis praesidio, religione, quae una homines et recte commonendo et salutariter deterrendo vere potest in suo quemque officio retinere, nutant continuo et labefactantur ipsis fundamenta civitatis.

Haec Nos, nulla dimissa occasione, gravibus litteris palam denuntiavimus et iis qui cum potestate praesunt et iis qui sunt sub potestate, indicantes alteris religionis et civitatis inter se rationes quam arcte continerentur, alteros adhortati ut divina Ecclesiae documenta iuste colerent diligenterque explerent. Singularis porro fuit compellatio Nostra ad Venerabiles Fratres Episcopos, quos Spiritus Sanctus rectores posuit Ecclesiae Dei idemque larga suae gratiae luce perfundit: qui enim, tamquam custodes per omnes vigilantes terrarum regiones, in re praesenti notarent experiendoque nossent quaenam cuique genti sive adhibenda remedia sive insidia praeacavenda, iidem profecto adiutores Nobis optimi futuri erant ad id quod summis viribus urgebamus, urgemus, catholicarum gentium salutem. Sunt autem a Nobis per ampliae Deo gratiae, quod compellationi Nostrae mira prorsus ex omni Episcoporum ordine consensio responderit et sollertia: nam, quantum eniti illi possunt, ingenio et animis, hortatione et actione, eo toti spectant ut veritatem catholicae fidei tueantur, utque hominum societatem, ad consentaneas fidei virtutes revocando, maximis expediant miseriis, ad veri nominis prosperitatem adducant.

In quo tam nobili studii pastoralis certamine praecclare quidem fecerunt Austriae Episcopi, et Nobis animus gestit debitam vobis laudem hoc loco tribuere: habemus quippe compertum quanta contendatis prudentia et assiduitate laborum ad mala quaevis in populo germina evellenda et ad semina fovenda christianaee vitae. Imo nuper perlitter agnovimus, coniunctim a vobis epistolam ad fideles dioecesium vestrarum fuisse datam, quae praeclaro Nobis argumento fuit consociatissimas esse voluntates vestras quum res est de rei catholicae rationibus tuendis. Verum ut firmius constet vigeatque in posterum haec concordia,

Quare omnes rectores et subditos de propriis officiis est adhortatus;

praesertim tamen Episcopos, qui mira consensione Pastorem adjuvarunt.

Zelum imprimis Austriae Antistitum laudibus effert;

*Quem ad
zelum au-
gendum, ut
quotannis
congredi-
antur sua-
det.*

*Peruti-
les tales
sunt con-
gressiones
tum Præsu-
libus.*

*tum gregi-
bus, et ipsis
cum maxi-
mo fructu
conventus
celebranti-
bus.*

*Argumen-
ta congres-
suris non
deerunt:
vinculum
unionis
cum Supre-
mo Pastore;*

vestraque studia et vires ad unum certumque finem eodem tramite intendant, nihil Nobis opportunius fore videtur, quam si quasdam inter ipsos congressiones quotannis Episcopi habeant, ex quibus ea ineatur tam efficax sentiendi agendique concordia. Istaec, quam optamus, conventuum ratio nonnullis in regionibus iam inducta viget, et fructus adhuc tulit vere laetabiles: inde enimvero Episcopis amplior patuit consiliorum copia, robur animi confirmatum, studium religionis incensum, haud pauca etiam consulta profecta quae rei catholicae multis modis utilia contigerunt. — Accedit quod tanta sacrorum Antistitum coniunctio et consensio non modo eis ipsis decus et gratiam apud suos non mediocrem auxerit, sed exemplum quoque et invitamentum extiterit hominibus laicis vel aliarum gentium, ut concordibus aequae animis consulerent, quibus oporteret praesidiis tutelam religionis neque minus civilis ordinis laborantis suspicere. — Praeterea ab ipsis Episcopis et praeeuntibus et cohortantibus multum certe navitatis et ardoris hauserunt catholici, ut conventus assimiles pro nationibus vel provinciis locisve aliis cogerent et celebrarent; idque sane quam providenter factum. Si etenim contra flagitosi homines, audacia praepotentes et numero, sese passim congregant foederatique conspirant ut illis donum fidei, unum omnium praestantissimum, et consequentia bona perfide eripiant, rectum omnino est ac necessarium, catholicos, Episcopis moderantibus, studia sua omnia viresque consociare ad resistendum: qui quidem, in talium coetuum frequentia, liberius poterunt et validius sui nominis professionem sustinere, hostiles impetus propulsare.

Res autem ad deliberandum, eaque magni momenti, Episcopis non deerunt congressuris. — Qua temporum calamitate afflictamur, id primum petendum curandumque esse censemus ut cum hierarchico ordine vincula christiane familiae arctiore in dies necessitudine constraintur; ita plane, ut fideles Episcopis suis omni voluntate et observantia adhaerescant, quum maxime vero ad Episcopum Ecclesiae universae fidem, obtemperationem, pietatem filiorum retineant alacres et profiteantur non

timide. Velle autem ut romanus Pontifex nulli subsit hominum ditioni, sed plene sui perfecteque sit iuris, hoc nempe officium quum ad omnes ubique gentium catholicos, non ad unam gentem aliquam, sancte pertineat, Episcopi idcirco collatis videant sententiis atque opera efficiant, ut fidelium studia in eam iustissimam caussam erecta constant, caleantque ad exitum feliciter maturandum. — Ibidem commode licebit Episcopis consilia inter se communicare, siqua inciderint ecclesiis suis impeditiora negotia: licebit etiam, si de re quapiam expedire visum, communes litteras et acta evulgare. — Item cleri instituendi excolendique cura, quâ nulla Episcopo maior neque uberior, suum in consultationibus locum habebit; quemadmodum disciplina et rectio clericorum sacris in seminariis ad Tridentinas exigenda normas, quibusnam praecipue rebus alenda in eis pietas et generosa virtus, quaenam maioribus doctrinis, ut congruenter temporibus floreant, incitamenta adiicienda, in omnique clero quaenam ad ampliora animorum lucra sint providenda. — Quod attinet ad greges fidelium, tam multis in periculis insidiisque versantes, permagni intererit varia provehi subsidia quae ipsis esse usui possint: de divinis rebus conciones et catecheses, ad homines, aetates, locos bene appositias; pias laicorum non uno in genere sodalitates, quas probet laudetque Ecclesia; inviolatam festorum custodiam et religionem; ea quoque vel instituta vel opera, unde fidelibus, iuventuti in primis, cautiones suppetant a pravitate et corruptela, et unde sacramentorum saluberrima consuetudo increbrescat; denique libros, diaria, similia in vulgus data, quae ad fidei defensionem faciant morumque disciplinam. Qua in re illud magni refert Episcopis commendare quod iamdiu fovemus animo et frequenti admonitione insistimus, ut hominum catholicorum in scribendo edendoque sollertia et meliore ordine temperata procedat et secundis vigeat incrementis. Eiusmodi scriptis optimis, quae vel quotidie vel certis diebus emittantur, multum sane in omni gente est tribuendum ad utilitates rei sacrae et civilis, sive quod eas proxime tutentur et augeant,

*MARTII
1891.*

*vindicanda
libertas
Pontificis;*

*negotia
communia
tractanda;*

*clerus ad
mentem
Tridentini
concilii e-
ducandus;*

*populus fi-
delis doc-
trina, pie-
tate infor-
mandus;*

*boni libri,
diaria
vulganda.*

*Ultimum
eo magis ne-
cessarium
quo plures
in Austria
pravae e-
phemerides
in vulgo
spargun-
tur.*

*Unaqua-
que regio
suas habeat
ephemerides
bonas.*

*Superest
et cura op-
ificum, ad
mentem
legis evan-
gelicae.*

sive quod adversariorum in ipsarum damna nitentium elidant scripta et contagionem impuram coerceant. At vero in Austriaco imperio tribendum illis quam plurimum, ubi vulgatae ephemerides infensis Ecclesiae hominibus magnam partem subserviunt, ab eisque, rerum copia affuentibus, facilius disseminantur et fusius. Necesse igitur prorsus est scripta scriptis concursu non impari opponere, atque ita posse eorum tela retundere, fraudes malas detegere, venena errorum prohibere, iusta officia suadere virtutis. Quapropter apte et salutariter fuerit, si suae propriaeque ephemerides, veluti pro aris focisque propugnantes, unicuique sint regioni, eo modo institutae, ut nulla in re a iudicio Episcopi abscedant, sed recte studioseque cum eius convenient prudentia et voluntate; eisdem autem et clerus benigne faveat suaequa afferat doctrinae praesidia, et viri quotquot reapse sunt catholici omnem gratiam bonamque pro viribus et facultate opem largiantur. — Episcoporum sollicitudini et suffragiis alia praeterea se dat tuendam insignis caussa quam vobis cordi esse intelleximus ex litteris quas ad fideles, quibus praestis, communiter dedistis: ea caussa est opificum, religionis auxilio maxime indigentium, tum ad perfunctionem laborem honestam, tum ad levamentum dolorum: quae caussa cum illa cohaeret, per hos dies agitata ferventer, quam socialem nominant, et quae, quanto maioribus implicatur difficultatibus, tanto curationem postulat praesentiem. Huc pariter, quoad in ipsis erit, si cogitationes Episcopi curasque contulerint, si prospexerint ut evangelica iustitiae caritatisque praecepta in omnes civium ordines influant alteque in animos descendant, si quoquo pacto, auctoritate et opera, infimae opificum conditioni subvenerint, perquam optime de religione aequa ac de imperio merebuntur.

Haec igitur et huiuscemodi capita rerum graviora in deliberationem veniant per annuos Episcoporum congressus, quos placet inducere. Nobis autem persuassimum est, omnes in Austria Episcopos his Nostris votis, quae sanctum movet religionis studium et caritas in catholicas


istas gentes benevolentissima, summâ omnes esse voluntate
et alacritate obsecuturos.

MAR³TII
1891.

Interim caelestium munerum auspicem et paternae
benevolentiae Nostrae testem vobis omnibus, Dilecti Filii
Nostri et Venerabiles Fratres, cunctaeque genti Austriae
Apostolicam benedictionem peramanter in Domino
impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Martii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



LITTTERAE APOSTOLICAE

DE FESTO S. JOSEPHI IN PEDEMONTIS,
LIGURIAE, LONGOBARDIAE ET SARDI-
NIAE REGIONIBUS INSTAURANDO.

MARTII
1891.

*Latus
Pontifex
harum par-
tium Epi-
scoporum
vota excepti
de colendo
sub duplice
præcepto
die festo
S. Josephi.*

*Pii IX
decessoris
vestigia
premens,
cultum
Sponsi B.
V. litteris
encyclicis
favit, qui-
bus orbis ca-
tholicus uno
plausu res-
pondit.*

*Italos,
ceteras re-
giones u-*

QUOD erat maxime optandum, ut nimirum apud omnes quibus continetur Italia regiones dies sacer Sancto Iosepho immaculato Deiparae Sponso tanta cultus observantia ageretur, quanto apud eas omnes studio in eumdem Sanctum pietas colitur, id optima opportunitate per hos ipsos dies Nobis datum esse laetamur. Supplices enim a Venerabilibus Fratribus Pedemontis, Liguria et Sardiniae Episcopis perlatae sunt ad Nos litterae, quibus ipsi votorum etiam cleri populique interpres petunt a Nobis, ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Sancti Patriarchae recolendae addictus, quemadmodum in aliis Italiae regionibus, ita in suis dioecesibus sub duplice præcepto celebretur. Laeto quidem animo lubentique excepimus ea vota, quae cum digna sunt pietate rogantium, tum diutino desiderio Nostro apprime respondent. Siquidem, vestigia sequuti decessoris Nostri sanctae memoriae Pii PP. IX, qui singulari studio cultum Sanctum Dei Genitricis Sponsi provexit, illumque caelestem totius Ecclesiae Patronum designavit, Nos die 8 kalendas Septembres anno 1889, datis ad universum orbem Apostolicis litteris, christianos omnes ad fovendum in se augendumque erga castissimum Deiparae Sponsum piae mentis affectum, eiusque cultum ubique magis dilatandum efficacibus verbis cohortati sumus. Iis vero hortatibus præceptisque Nostris tanta animorum alacritate ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quanta et quam penitus insideat in christianorum animis erga Sanctum Patriarcham pietas, et quantam in caelesti illius patrocinio spem universi repontant. Excitatis ita ubique pietatis studiis auctoque fervore, sibi quidem deesse non poterant Itali, apud quos non minus certe quam apud ullam, ex gentibus ceteris in Sanctum Iosephum pietas viget et floret. Ex hoc evenit ut, nulla

habita ratione regionum, nunc per Italiam totam ex ipsa populorum voluntate pari Sancti Iosephi cultui instituendo solerter detur opera. Certe nulla pietatis, nulla christiani cuiuslibet officii debet esse laus, quam sibi prae ceteris gentibus adipisci non contendant regiones Italiae, in qua Deus singulari beneficio et sedem sui in terris vicarii, et divinae veritatis cathedram, et catholicae unitatis centrum collocavit. Nos, qui dum populos universos et singulos paterna benevolentia pariter complectimur, singulari caritatis sensu ad Italos respicimus, spem bonam sovemus fore ut novum hoc pietatis pignus, quod in supra dictis regionibus Beato Mariae Virginis Sponso tribuendum est, acceptum illi sit, cui defertur, iis vero qui deferunt fructuosum. Nihil enim est difficillimus hisce temporibus ad servandum patrimonium fidei, et ad vitam christiane agendam efficacius, quam patronum Sancti Iosephi demererri, atque adeo gratiam Mariae Dei Matris castissimi sui sponsi clientibus conciliare. Quare admotis ad Nos precibus votisque benigne obsecundare volentes, moti suffragiis sacrorum Antistitum, qui supra memoratis dioecesibus praesunt, Apostolica auctoritate Nostra, harum litterarum vi, praecipimus, decernimus ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Iosephi recolenda sacer in omnibus et singulis Pedemontis, Liguria, Sardiniae nec non Longobardiae regionibus in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea christiani omnes quum sancto Missae sacrificio adesse, tum ab iis operibus, quae servilia dici solent, abstinere pracepto debent. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibetur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 3 Martii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

*nanimi S.
Josephi cul-
tu superare
debet.*

*Spes op-
tima ex
hoc incre-
mento pie-
tatis hau-
ritur.*

*Pietas in
S. Familiam sum-
mum con-
tra presen-
tia mala
remedium.*

*Festum
auctoritate
apostolica
in Italia
superiori
decernitur
de duplo
præcepto
servandum.*

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SAECULARIBUS SOLLEMNIBUS

S. IOANNIS A CRUCE.

MARTII
1891.

Post saecularia sollemnia in honorem S. Theresiae nuper celebrata, Pontifex apprime decens proclamat per tributum S. Joanni a Cruce ab ejusdem familia solvi.

Virtutes S. Joannis a Cruce exemplar fidelibus, ac praesertim Carmelitis praeferuntur, patientiam imprimis mirabilem.


RATUS quidem et iucundus Nobis accidit nuncius, singulari animi ardore ab universo Carmelitarum Excalceatorum ordine sollemnia apparari ad recolendam memoriam Sancti Iohannis a Cruce, qui primus eiusdem ordinis professor, alter merito parens nuncupatur, tertio exeunte saeculo ex quo solutus corporis vinculis ad caelestium sedes avolavit. Aequum sane est gratoque animo non minus quam pietati maxime consentaneum ut ab iis honores singulares habeantur sanctissimo viro, qui labore, doctrina, operosa sedulitate egregie de eodem ordine meruit, illumque clarissimarum virtutum splendore illustravit. Siquidem post saecularia sollemnia ob memoriam Sanctae Teresiae Carmelitarum Excalceatorum familiae matris et magistrae opportuna quidem oblata est occasio celebrandi haud multo post festum centenarium Sancti Iohannis a Cruce. Sic non longo temporis intervallo qui iam sanctae virginis legiferae socius operis extitit, atque in mysticae theologiae arcanis scripto explicandis aequa ac illa divinitus instructus eorumdem honorum sit particeps. Nos vero spem optimam fovemus fore ut eiusmodi sollemnia non vacua futura sint fructu christifidelibus omnibus, ac praesertim Carmelitis, qui beato ex familia sua caeliti honores cum detulerint, in cogitationem facile deducentur virtutum praestantissimarum, quibus ille quoad vixit ceteris in exemplum praefulsit. Ex iis virtutibus libet hac praesertim tam adversa Ecclesiae ac religiosis familiis tempestate memorare admirabilem Sancti Iohannis a Cruce patientiam cum invicta constantia coniunctam: gravissimis enim molestiis, asperrimisque aerumnis ita vexatus assidue fuit et afflictus, ut vere Crucis habere nomen et onus subferre visus sit. Easdem tamen tam patienter, atque ea voluntate pertulit, ut hoc unicum suis laboribus praemium expetierit, nimi-

rum pati et contemni pro Christo. Quapropter cum haec saecularia sollemnia, cum christianis omnibus, tum praecipue Carmelitarum familiae non parum, Deo adiuvante, sint profutura, ad augendam eorum celebritatem, quae a Nobis ex Ecclesiae thesauro petita sunt munera libenter conferimus. Votis igitur et precibus Procuratoris Generalis Carmelitarum Excalceatorum nuper ad Nos admotis benigne adnuentes, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui triduanae supplicationi, quae in ecclesiis Carmelitarum Excalceatorum a die vigesima secunda mensis Novembris ad diem decimam quartam mensis Decembris inclusive ex concessu Ncstro est habenda devote interfuerint, et uni ex tribus diebus supplicationis ad cuiusque fidelis arbitrium sibi eligendo vere poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti ecclesiam, in qua festum agitur, visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero christifidelibus corde saltem contritis, qui quolibet die praedictae supplicationi devote adstiterint et, ut supra dictum est, oraverint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis alias quomodolibet poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxations etiam animabus fidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus, Praesentibus hoc anno tantum valitatis.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 4 Martii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

Ad augenda hæc sæcularia sollemnia, juxta votum Generalis Carmelitarum, largas indulgentias certis diebus ac locis lucrandas benigne concedit.



EPISTOLA

ad Episcopum Nanceiensem et Tullensem

DE QUAESTIONE OPIFICUM.

MARTII
1891

Gratias
agens de ex-
emplari e-
pistolæ pa-
storaliæ ad
se missæ,
Pontifex
laudat ze-
lum epi-
scopi Nan-
ceiensis.

Comprobat
imprimis
que provi-
dit tum ad
cleri indus-
trialam exci-
tandam,
tum ad a-
gricolas ope
novæ soda-
litatis
christiane
instituen-
dos.

Cujus
generis so-
dalitates
late propa-
gari cupit.

BENEVOLO libentique animo accepimus litteras tuas, amoris et officii plenas, unâque exemplar recentis tuae ad clerum et populum epistolæ *de quaestione, ut aiunt, opificum.* — Valde Nobis gratum est, ut ipsemet facile intelliges, operam abs te dari exponendis enucleandisque praecipuis doctrinae capitibus quae ad caussam tam vehementer aetate hac nostra agitatam spectant; similique modo probamus quod praecipuam geras curam de iis provehendis in tua dioecesi operibus, quae magni profecto, hac ipsa in re, momenti sunt. Ea nominatim intelligimus quae sunt a te opportune provisa tum ad promptam et alacrem, uti tempus postulat, cleri industriam excitandam, tum ad sublevandam, novae sodalitatis ope, miseram eorum conditionem qui aetatem in agris colendis degunt. Magnopere velimus eius generis sodalitates quam late propagari, quippe quas et ad minuenda mala quibus tot miseri obnoxii sunt, et ad fovenda inter agricultores christiana- rum virtutum studia, non parum censemus idoneas. — His itaque de rebus tibi, Venerabilis Frater, maiorem in modum gratulamur; Deumque enixe adprecamur ut episcopales labores tuos cumulare velit uberrimis lectissimisque fructibus. Caelestium vero munerum auspicem, et paternae prae- cipuaeque benevolentiae Nostræ testem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, universoque clero et populo tuae dioecesis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 7 Martii 1891, Ponti-
ficatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



MOTU-PROPRIO
DE VATICANA SPECULA ASTRONOMICA
RESTITUENDA ET AMPLIFICANDA.

UT mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nominumque ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem ignorantiae, scientiarum lumini et progressui infensam. — At quae primis ab exordiis Ecclesia gessit et docuit homines, ea satis resellunt et coarguunt turpis mendacii impudentiam. Nam praeter notitiam rerum divinarum, in qua veritatis sola magistra fuit, praestantiores etiam philosophiae partes, quae summa statuunt principia et fundamenta scientiarum omnium, quaeve rationem veritatis detegendae, recteque ac subtiliter disserendi tradunt, vel animi vim ac facultates explicant, aut in vitam hominum moresque inquirunt, ita per Doctores suos excoluit et illustravit, ut difficile sit novum aliquid memoria dignum iis adiicere, periculose sit ab iis discedere. — Summa praeterea laus est Ecclesiae, quod iuris prudentiam perfecerit atque expolierit, nec ulla delebit oblivio quantum ipsa contulit doctrinis, exemplis et institutis suis ad implexas quaestiones expediendas, in quibus scriptores haerent scientiarum, quae *oeconomicae* et *sociales* audiunt. — Interim vero ne illas quidem neglexit disciplinas quae in naturae eiusque virium exploratione versantur. Scholas namque condidit et musea instruxit, quo penitus illas iuventus addisceret, suosque inter filios et administros egregios habuit earum cultores, quos ope sua adiutos et ornatos honore ad ea studia impensis colenda excitavit. — Eminet in hoc scientiarum numero *astronomia*, quippe cui ea proposita sunt vestiganda, quae prae ceteris inanimis rebus enarrant gloriam Dei, ac virorum omnium sapientissimum mirifice delectabant, qui lumine divinitus indito nosse se laetabatur imprimis «*anni cursus et stellarum dispositiones*»

MARTII
1891.

Ecclesiam,
Christi
Sponsam,
scientia-
rum altri-
cem Ponti-
fex profite-
tur atque
demonstrat,

*in rebus the-
ologicis,*

*philosophi-
cis,*

*economi-
cis,*

physicis.

*Eminet
inter scien-
tias astro-
nomia.*

(*Sap.*, VII, 19). — Porro ad curanda huius scientiae incrementa et fovendos cultores eius illud quoque incitamento fuit Ecclesiae Pastoribus, quod huius unius ope certo possint constitui dies, quibus celebrari oporteat ea quae maxima et religiosissima sunt mysteriorum Christi solemnia. Quo factum est, ut Tridentini Patres qui probe noverant perturbatam esse rationem temporum, quae non satis commode, Iulio Caesare auctore, fuerat emenda, rogarunt enixe Romanum Pontificem ut viris doctissimis in consilium adhibitis, novam ac perfectiorem conficeret annorum diariumque ordinationem. — Quanta fuerit in ea re gerenda Gregorii XIII Praedecessoris Nostri diligentia, constantia et liberalitas satis compertum est ex indubiis historiae monumentis. Scilicet in ea quae aptissima videbatur parte Vaticanarum aedium speculatoriam turrim excitari iussit, quam instrumentis ornavit, quae ferebat aetas illa, maxima et accuratissima, ibique conventus habuit doctorum hominum quos Kalendario restituendo praefecerat. Manet adhuc ea turris munifici auctoris sui illustria praeseferens indicia, extatque in ea linea meridiana constructa ab Egnatio Danti Perusino, eique marmorea tabula rotunda interiecta, cuius signa scienter exarata demissis ex alto radiis icta solis, necessitatem emendandae veteris rationis temporum et consentientem rerum naturae restitutionem peractam demonstrant. — Haec turris, monumentum nobile Pontificis de scientiis ac litteris optime meriti, ad pristinum caelestium observationum usum post diutinam intermissionem revocata est imperio et auspicio Pii VI, flectente et exitum saeculo superiore. Tum cura et studio Philippi Gilii urbani Antistitis aliae etiam adiectae sunt explorationes, quae vim magneticam, tempestates aëris vitamque plantarum spectarent.

Ast eo demortuo docto et industrio viro, anno huius saeculi vicesimo primo, templum hoc scientiae astronomicae neglectum desertumque fuit; nam brevi postea Pii VII mors est insecura, Leonis autem XII curas ad se convertit grandius incepsum scientiarum omnium complectens incrementum et decus, nova nimirum instauratio rationis studiorum in Pontificia ditione universa. Hanc ab immortali decessore

*Ecclesia
liturgiae
sollicita,
Juliano e-
mendato,
calendari-
um Grego-
rianum in-
duxit.*

*elaboratum
in turri
Vaticana-
rum ædi-
um adhuc
exstante.*

*Quæ turris
usui pristi-
no per Pi-
um VI re-
stituta fuit,
studiiisque
Philippi
Gili illus-
trata.*

suo cogitatam perfecit ille feliciter, datis litteris Apostolicis quarum initium: «*Quod divina sapientia*». Ibi nonnulla graviter constituit de speculis astronomicis, de observationibus assidue peragendis, de scriptione ephemeridum quae explorata referrent, deque studio adhibendo, ut quae ab exteris detecta forent nostratibus innotescerent. Si Vaticana turris posthabita est quum aliae in Urbe instructae suppeterent, id ex eo profectum videtur, quod qui tunc rerum huiusmodi peritia praestabant, huic turri obesse censerent vicinas aedes, maximeque obiectum tholi praecelsi qui Vaticanum templum coronat. Hinc illae potiores speculae videbantur quae caelum ex aliis editis locis circumspectant. — Postquam vero ea loca cum reliqua Urbe in alienam potestatem deveneret, agentibus Nobis quinquagesimum primum sacerdotii Nostri natalem diem, plura cum aliis muneribus oblata sunt instrumenta affabre facta, quae cultoribus physices caelestis, aëriae et terrestris usui sunt; atqui nullam illis aptiorem sedem tribui posse viri physicae scientiae peritisimi putaverunt piae ea quam Gregorius XIII iis quodammodo paravisse in Vaticana turri videbatur. Quum ea sententia Nobis probata esset; ipsa aedificii natura, veteris gloriae eius memoria, et collecta supellex, non secus ac vota virorum prudentia et doctrina praestantium, Nobis suasere, ut iuberemus eam speculam restitui, rebusque omnibus ornari et instrui, per quae non modo astronomiae studiis esset profutura, sed etiam per vestigationibus physicae terrestris, et per noscendis phaenomenis quae in aëria regione contingunt. Quod porro amplitudini prospectus deesse videbatur, ut quoquoversus pateret latissime ad sidera eorumque motus explorandos, id commode praestitit vicinitas *Leoniani propugnaculi* veteri soliditate nobilis, cuius turris editissima in vertice collis vaticani assurgens maximas praebet opportunitates, ut inde astrorum observatio plenissima sit et numeris omnibus absoluta. Hanc itaque adiutricem addidimus Gregorianae speculae, eoque deferri iussimus ingens opticas instrumentum quod *aequatoriale* dicunt, ad photographicas siderum imagines excipiendas comparatum. — Ad haec gnosmos sollertesque viros selegimus quorum mini-

¹⁴
MARTII
1891.

Inde aliae
turres in
Urbe ex-
structæ, post-
habita Va-
ticana, ut-
pote minus
late quo-
quoever. us
patente.

Huic de-
stinari in-
strumenta
astronomi-
ca occasione
jubilæi sa-
cerdotalis
accepta pla-
cuit,

ac proin
turrim
Vaticanam
instrumen-
tis congruis
ornari

adjuncta
turri pro-
pugnaculi
Leoniani.

*Pontifex
P. Franciscum
Denza Col-
legio astro-
nomico
praeficit.*

*Leges
latae, at-
que conci-
lium insti-
tutum*

*hunc litteris con-
firmat.*

*Partem
munificen-
tiarum ju-
bilei sacer-
dotalis at-
tribuit
huic operi,
quod diu
in votis ha-
bebat.*


sterio ea omnia praestarentur quae suscepti operis natura flagitat, iisque praefecimus virum rei astronomicae et physicae scientissimum, P. *Franciscum Denza* ex clericis regulibus S. Pauli, Barnabitis nuncupatis. Horum industria freti libenter annuimus Vaticanam speculam in societatem partemque operis vocari cum aliis paeclarissimis institutis rei astronomicae provehendae addictis, quibus propositum est tabulas photographicas conficere quae totius caeli, prout nitet frequentibus stellis conspersum, accurate imaginem referant. — Quum autem susceptum a Nobis opus in hac specula restituenda non brevi interire, sed perpetuum fieri optemus, legem ei dedimus quae regulas praescribit, quas in rebus ibi gerendis ac ministeriis obeundis servari volvamus. Consilium praeterea constituimus virorum lectissimorum penes quod summa sit totius rei moderatio, et maxima post nostram potestas in iis quae spectant internum eius ordinem decernendis.—Iamvero hanc legem et hoc Consilium, non secus ac delationem variorum munerum et reliqua quae hucusque iussu vel consensu Nostro circa Vaticanam speculam acta sunt, per hasce litteras solemniter confirmamus, eamque in eodem ordine haberi volumus cum aliis Pontificiis institutis quae scientiarum calendarum caussa condita sunt. Imo quo firmius operis stabilitati consulamus, pecuniae vim eidem attribuimus cuius redditus sumptus eidem servando tuendoque decenter necessarios suppeditet. Tametsi magis quam humanis praesidiis, illud tectum iri florensque fore confidimus favore et ope omnipotentis Dei; namque in eo aggrediendo non modo incrementis studuimus scientiae prae nobilis, quae mortalium animos pae ceteris humanis disciplinis ad rerum caelestium contemplationem erigit, sed illud praecipue animo intendimus quod ab ipsis Nostri Pontificatus exordiis constanter, ubi data est occasio, verbis, scriptis rebusque gestis praestare adnisi sumus, curare scilicet, ut omnibus persuasum sit Ecclesiam eiusque Pastores, prout initio diximus, non odisse veram solidamque scientiam cum divinarum tum humanarum rerum, sed eam complecti et fovere, et qua valent ope studiose provehere.

Omnia igitur quae litteris hisce nostris statuimus et declaravimus, rata et firma uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritumque et inane futurum decernimus, siquid super his a quoquam contigerit attentari, contrariis quibuscumque non obstantibus.

*MARTII
1891.*

Datum Romae apud S. Petrum die 14 Martii 1891, Pontificatus nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



PISTOLA
 ad Cardinalem Richard,
 Archiepiscopum Parisiensem
 DE ALTERO DOCTORUM VIRORUM CON-
 VENTU PARISIIS HABENDO.

16
MARTII
1891.

Grate
Pontifex
nuntium
proxime
habendi al-
terius con-
ventus ac-
cepit.

Peroppor-
tunum ut
impiæ sci-
entiae cona-
tus

solidæ veri-
tatis in-
structu re-
pellantur.


QUUM gratae semper Nobis obveniant litterae tuae, tum illae acciderunt gratissimae quas abs te prope exitum Februarii mensis datas acceperimus. Nunciabant enim auspicatum iri, te praeeunte, post solemiores paschatis dies conventum alterum virorum ingenio et doctrina praestantium, illi similem, qui in ista civitate amplissima abhinc triennium celebratus fuit. Quum prior ille probatissimus Nobis extiterit, nequibat Nos admodum eius iteratio non delectari. — Duo porro extiterunt quae nuncium a te datum Nobis effecere iucundius. Siquidem affiras, virorum consilium, qui huius rei gerendae curam suscepere, memori retinere animo et servari curaturum documenta et monita alias a Nobis tradita, ut ad eorum normam exigerentur quae agenda erant in priore conventu. Insuper laetam spem ostendis plures fore doctos viros qui hoc anno tecum congressuri sunt prae iis qui ante triennium istic coivere. Atqui hoc splendidum erit testimonium obsequii quod viri illustres humanae scientiae luminibus exhibebunt divinae luci qua fulget Ecclesia. — Nihil autem hoc iusto obsequio censemus huic aetati nostrae opportunius. Solent enim homines impii arrogantia magis quam solida rerum peritia elati scientiae nomine abuti ut praeclaram lucem catholicae veritatis obscurent. Neque vero ambigimus quin sermones et scripta egregiorum virorum qui istuc convenient novum praebitura sint armorum instructum iis qui rerum divinarum studiis addicti contra improborum fallacias pro veritate decertant. — Itaque te, dilekte fili Noster, consilium lectorum virorum, quibus curae est ut recte atque ordine conventus habeatur, et

omnes qui nobilis huiusce coetus participes futuri sunt paterna caritate complectimur, vobisque universis et singulis caelestis sapientiae lumina et supernae gratiae praesidia ubertim adprecati, non secus ac clero et populo tuae vigilantiae commissis, Apostolicam benedictionem permanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 16 Martii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

*Benedictio
apostolica
conventuris
impertitur.*

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Comitem de Ballestrem, Baronem Heer-
mann et Comitem de Preysing
DE LAUDIBUS LUDOVICI WINDTHORST.

19
MAKTI
1891.

Probat
Pontifex
unanimem
catholico-
rum luctum
de obitu
perillustris
ac meritis-
simi viri
Ludovici
Windt-
horst.

Landes
defuncti
fuse ac di-
serte cele-
brat.

Quem
mors insi-
gnibus ipsi
destinatis
eripuit, spe-
rat Ponti-
fex in sedi-
bus super-

SUMMA animorum coniunctio, quae vobis fuit cum egregio viro *Ludovico Windthorst*, etsi Nos minime latebat, exploratior tamen Nobis extitit ex iis quae telegraphicā scriptio perferti ad Nos curavistis, communī vestro et collegarū catholicorū nomine, per dilectū filium Nostrū Cardinalem a publicis negotiis administrū. — Iusto enimvero et acerbo dolore affectos vos esse intelligimus ex insperato eius viri obitu, cuius religio, integritas, prudentia, aliaque animi ornamenta perspecta prae ceteris vobis fuere, qui ipsum ducem sequuti in officiī gravissimi perfunctione, non minus laborum et consiliorū socii quam laudis eius participes extitistis. Vestra enim consensione et suffragiis fretus, maximis rei christianaē et publicaē temporib⁹, Ecclesiae rationes et iura strenue defendit, caussamque iustitiae semel susceptam magno animo tueri perrexit, donec ea se assequutum vide-ret quae animo constanter intenderat. — Merito autem partium vestrarū principem eum vos habuisse gloriamini, qui nunquam se adversantium viribus aut popularibus fluctibus gradu moveri passus est, qui ita patriam dilexit et debitam Principi observantiam ostendit, ut nunquam haec officia a religionis cultu seiunxerit, atque ita rationum pondere solidaeque eloquentiae robore eos qui contra sentiebant oppugnavit, ut facile agnitu esset, eum veritatis studio ad certandum, non ulla commodi aut honoris cupiditate moveri. — Evidem haec eius merita, uti par erat, probatissima habuimus; idque cum alias, oblata occasione, testati sumus, tum nuper hoc anno, quum, redeunte anniversaria die coronationis Nostrae, nova honoris accessione ipsum augere voluimus, adlectum nempe inter equites

primi ordinis Sancti Gregorii Magni insignibus eius ornare. Quod si morte praereptus hoc amoris et existimationis Nostrae testimonio frui non potuit, certa spes Nos solatur et recreat, quae illum Nobis ostendit amplioribus praemiis a Deo ornatum, eamque adeptum incommutabilem gloriam, qua nulla illustrior ac beatior est hominibus expectanda.

nis ampliori præmio ornatum.

Vos interim, dilecti filii, virtutis memores et exemplorum tanti ducis, firmiter vestigia eius insistite, arctam inter vos retinete concordiam, quam ipse in eo cui praefuit agmine naviter studioseque servavit, ac certum habete quod ille semper animo defixum habuit, prosperitati et gloriae communis patriae eo consultius a vobis prospectum iri, quo impensius vos praebueritis fideles Deo et Ecclesiae matri obsequentes. — Sic vos sociosque vestros propitius Deus tueatur ac sospitet, eiusque favoris auspex sit Apostolica benedictio, quam vobis singulis universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 19 Martii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

*Speramus
illustrem
nos, defun-
cti ducis
memores,
concordi a-
nimo ipsius
operis non
desuturos.*

LEO PP. XIII.



EPISTOLA
 ad Cardinalem Richard,
 Archiepiscopum Parisiensem
DE BASILICA SS. CORDIS, DEQUE
CONCORDIA.

MAII
1891.

Lætatur
Pontifex de
proxima
dedicatione
basilicæ
SS. Cordi
in monte
Martyrum
extructæ.

Multipli-
cem ratio-
nem tanti
gaudii a-
perit.

Utinam
catholici
Galli, sicuti
ad ædi-
ficandum
hoc tem-
plum, ita
ad religio-

GRATISSIMUM fuit nuncium quod Nobis tuae litterae attulerunt die 28 Aprilis datae, templi nimirum, quod totius Galliae fideles publicae expiationis caussa et ad divinam opem patriæ implorandam ante annos 20 voverunt excitandum in monte Martyrum Christo Domino Cor suum revelanti, ita esse molitionem provectam communibus nationis Gallicae sumptibus, ut publicae religioni patere iam possit; ac tibi deliberatum esse ut die 5 proximi Iunii, quae Divini Cordis honori sacra est, solemnis templi eiusdem benedictio ad praescriptos ecclesiae ritus peragatur. Et cum olim felicis recordationis decessor Noster Pius IX, auspex votorum publicorum, templo inchoando suae pietatis et studii incitamenta contulerit, postulandum a Nobis censuisti ut dedicationem quae confestim peragenda est, Nostri pariter studii officiis et sacris potestatis Nostræ muneribus prosequamur. — Gaudemus vehementer, Dilecte Fili Noster, hoc insigne votivi templi monumentum apud vos in celebri loco exsurgere, quod publice ostendit fidem et pietatem Gallicae nationis cuius in avitam religionem amoris illustria semper documenta extiterunt; gaudemus in eo populo, in quo beatae illius caelitis virtus effulsit quae divini Cordis alumna et gloriae eius administra fuit, pientissimam hanc religionem incrementa capere et magni operis molitione posteris commendari; gaudemus etiam impense de salutribus huius operis fructibus, cum certa fiducia nitamur fore, ut Christus Dominus tales Cordis sui cultores in sui divini Numinis fidem tutelamque perpetuam recipiat. — Cum vero tam præclaram in Gallica natione voluntatem in iis

quae ad religionem pertinent videamus, illud maxime
 Nobis in votis est, ut quemadmodum una omnium Galliae
 fidelium pietas ad votivi templi molem excitandam splen-
 dide effulsit, ita una omnium cura ad catholicae religionis
 incolumitatem et caussam in patria tuendam constet et
 vigeat, et silentibus partium studiis, quibus bonorum vires
 minuuntur, malorum augentur, una sit omnium conspiratio
 et consensus ad gloriam conservandam ea natione dignam,
 quae inclita maiorum virtute praeclarum in Ecclesia nomen
 et dignitatem obtinuit. Hoc nimirum est curarum omnium
 et foederum nobilissimum, ad quod ipsa divinae veritatis
 voce vocamur, quae docet quaerendum ante omnia regnum
 Dei et iustitiam eius, ac mercedem exinde sperare iubet,
 qua Deus pietatis et iustitiae cultum ac zelum honoris sui,
 non in caelis solum, sed et in terris remuneratur. Haec quae
 ex paterni Nostri cordis in vos caritate dicimus, eo animo
 fideles Gallos excepturos confidimus, quem in filiis aman-
 tissimis et carissimis semper agnovimus. — Caeterum
 eorum, quae a Nobis postulasti, Dilecte Fili Noster, omnem
 rationem habentes, auctoritate Nostra Apostolica libenter
 concedimus, ut a die 5 proximi Iunii ad tertiam Iulii men-
 sis, quod tempus dedicationi templi festo cultu celebrandae
 constitutum est, tum ipso dedicationis die, tum omnibus
 dominicis diebus, nec non in festis Nativitatis Praecursoris
 Domini, beati Petri Apostolorum Principis, et Visitationis
 Deiparae Virginis, omnes utriusque sexus fideles sacra-
 mentali confessione peracta et sacra eucharistia percepta
 plenariam admissorum indulgentiam in forma Ecclesiae
 consueta consequi possint ac valeant: itemque eadem au-
 toritate Nostra tribuimus, ut omnes fideles qui votivum
 templum devote adierint, ibique pias ad Deum preces effu-
 derint, indulgentiam septem annorum totidemque quadra-
 genarum, per totam dedicationis celebritatem, quocumque
 die id egerint, in forma Ecclesiae consueta lucentur:
 praeterea facultatem tibi, iuxta preces oblatas, facimus,
 solemniter benedicendi populo cum plenaria admissorum
 indulgentia Nostro nomine et auctoritate post sacra mis-
 sarum solemnia, iuxta ritum et formam a Romana Sede

M. A. II
1891*nem publice
tuendam
concordes
existant.**Indulgen-
tias occa-
sione dedica-
tionis hu-
jus basilicae
lucrandas
benigne con-
cedit.*

praescriptam : atque omnes quas impertivimus indulgentias, animabus in purgatorio degentibus per modum suffragii solatio esse posse concedimus et elargimur.—Facere demum non possumus, quin ad Christum Dominum Deumque nostrum, qui vita et virtus cordium est, quique omnes qui laborant ac onerati sunt se solaturum pollicetur, vota ex intimo animo convertamus, ut propitius ac misericors honoris et pietatis vestrae excipiat officia, ac de thesauris benignitatis suae vobis et patriae universae, pacis, salutis omnisque prosperitatis amplissima dona largiatur. Horum autem caelestium munerum auspicem et pignus sincerae benevolentiae Nostrae esse volumus Apostolicam benedictionem, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque Galliae clero, cunctisque fidelibus paramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 5 Maii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



LITTERAE ENCYCLICAE

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et
Episcopos universos catholici orbis gratiam et
communionem cum Apostolica Sede habentes.

DE CONDITIONE OPIFICUM.

15
MAI
1891

EXORDIUM.

Economi-
cum certa-
men,

multiplici
fonte or-
tum,

omnium-
que studia
summe te-
nens,

movet Pon-
tificem ut
instantius
de condi-
tione opifi-
cum loqua-
tur.

Rem ar-
duam si-

RERUM novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. — Revera nova industriae incrementa novisque eunes itineribus artes: mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae: divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos: denique ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam caussa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius. — Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussa et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos Litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum fallacias opportuna videbantur, idem nunc facendum *de conditione opificum* iisdem de caussis duximus. — Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus: in his tamen Litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici munera conscientia monet, ut principia emineant, quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur. Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et

*mul et pe-
riculosam
susceptu-
rum*

*urget mise-
rorum in-
digna for-
tuna.*

*Status
questio-
nis.*

*Deterioris
sortis opif-
cum cau-
sæ recen-
sentur.*

*I. PARS
NEGATIVA.
MALI SAN-
TIO A SOCIA-
LISMO HAUD
PETENDA.*

*Definitur
socialis-
mus.*

*Socialis-
tarum ra-
tio est
1º inepta,
2º injusta,
3º subver-
siva.*

*1º Inepta
est, nam di-
rinens jus
collocandæ
mercedis in
prædio ut
proprio
possidendo,
opifici spem*

eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditione multitudinem passim detorquetur. Ut cumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur.

Nam veteribus artificum collegiis superiores aeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenatae que competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem : huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulentii ac praedivites per pauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

Ad huius sanationem mali *Socialistæ* quidem, sollicitata egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rem publicam gerant. Eiusmodi translatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo : eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

Sane, quod facile est pervidere, ipsius operæ, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque iure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victimum cultum-

que necessarias : ideoque ex opera data ius verum perfecatumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parcimoniae sua, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induita speciem : propterea que coemptus sic opifici fundus tam est in eius potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Socialistae* ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

Verum, quod maius est, remedium proponunt cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas, ius est homini a natura datum. — Revera hac etiam in remaxime inter hominem et genus interest animantium ceterarum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque dupli naturae instinctu : qui tum custodiunt experrectam in eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt : nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. — Longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humana natura inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est ra-

15
MAII
1891

admit me-
lloris sortis
opera sua
acquiren-
dæ.

* Injusta
est, nam
possidere
res priva-
tim ut suas,
jus est ho-
mini a na-
tura da-
tum.

Demons-
tratur hoc
jus 1) in-
dividuis
competere,
a) Hoc in-
terest inter
belluas et
hominem,
quod illæ
rerum cor-
porearum
usu fruan-
tur tan-
tum ; hic
autem, ra-
tionis par-
ticeps, in-
super ea
sibi stabili
possessione
subjiciat.

tionis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque jure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

b) *Se ipsum homo gubernans consilio suo, providet sibi in futurum; quod maxime praestat per terrae dominatum, ratione eiusdem libertatis.*

Quod magis etiam appareat, si hominum in se natura altius spectetur. Homo enim cum innumerabilia ratione comprehendat, rebusque praesentibus adiungat, atque annexat futuras, cumque actionum suarum sit ipse dominus, propria sub lege aeterna, sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei, se ipse gubernat providentia consilii sui: quamobrem in eius est potestate res eligere quas ad consuendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias. Habent cuiusque hominis necessitates velut perpetuos reditus, ita ut hodie explete, in crastinum nova imperent. Igitur rem quamdam debet homini natura dedisce stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii expectari posset.

Atqui istiusmodi perennitatem nulla res praestare, nisi cum libertatibus suis terra, potest.

Objicitur
huic argu-
mento:
a) *provi-
dentia rei-
publicae.*

Resp. :
*Homo prior
est civitate.*
b) *Deus de-
dit terram
universo
generi ho-
minum
fruendam.*

Resp. :
a') *Non ita
ut promis-
cum do-
minatum
induxerit;
sed ita ut
industria
singulo-
rum de-
scriptionem
possessio-
num pri-
vatarum
permiserit.*
b') *Hoc pa-
cto non mi-*

Neque est, cur providentia introducatur reipublicae: est enim homo, quam res publica, senior: quocirca ius ille suum ad vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit quam civitas ulla coisset. — Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, qui alatur eo, quod agri efferunt. Qui re parent, supplent opera; ita ut vere affirmari possit, universam comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in

fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cuius merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur.

Qua ex re rursus efficitur, privatas possessiones plane esse secundum naturam. Res enim eas, quae ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundit, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset. Iamvero cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporae partem, quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personae suae impressam reliquit; ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo ius ipsius violare cuiquam licere.

Horum tam perspicua vis est argumentorum, ut mirabile videatur, dissentire quosdam exoletarum opinionum restitutores: qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt: at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane ius esse negant. Quod cum negant, fraudatum iri partis suo labore rebus hominem, non vident. Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfui, in quo alias desudavit, utrumne iustitia patiatur? Quo modo effectae res caussam sequuntur a qua effectae sunt, sic operaे fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere. Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum repetit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit. — Leges autem civiles, quae, cum iustae sunt, virtutem suam ab ipsa naturali lege ducunt, id ius, de quo loquimur, confirmant ac vi etiam adhibenda tuentur. — Idem divina-

15
MAII
1891

*nus uni-
versitati
inservit
terra qua-
omnes
aluntur.*

c) *Quum u-
bertas ter-
re sine ho-
minis cul-
tu esse non
possit, cul-
tusque rur-
sus a fundo
separari
nequeat,
consequens
est cultu
hominem
fundum li-
berum, na-
ture jure,
facere su-
um.*

d) *Univer-
sitas fere
generis hu-
mani hoc
ius procla-
mat;*

*confirmant
legis civi-
les;*

*divina-
rum legum
sancit au-
ctoritas.*

*2') Jus possi-
dendi, quod
singulis na-
tura inest,
validius
familiae
domesticæ
competit.*

*a) Jus est
divinitus
concessum
condendi
familiam,
civitate an-
tiquiorem.*

*Atqui,
pater fami-
lias, quos
procreavit,
præsertim
hereditaria
bonorum
transmis-
sione tue-
tur.*

*b) Fami-
liae, veri
nominis so-
cietas ju-
ra, non nisi
tyrannice
violanda,
juribus so-
cietas ci-
viliæ aequa-
lia sunt, i-
mo majora,
quia prio-
ra.*

rum legum sanxit auctoritas, quae vel appetere alienum gravissime vetant. *Non concupisces uxorem proximi tui : non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum et universa quae illius sunt* (¹).

Iura vero istiusmodi, quae in hominibus insunt singulis, multo validiora intelliguntur esse si cum officiis hominum in convictu domestico apta et connexa spectentur. — In diligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle, aut IESU CHRISTI sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinclo obligare. Ius coniugii naturale ac primigenum homini adimere, caussamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum, nulla potest. *Crescite et multiplicamini* (²). En igitur familia, seu societas domestica, perparva illa quidem, sed vera societas, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica.

Quod igitur demonstravimus, ius dominii personis singularibus natura tributum, id transferri in hominem, qua caput est familie, oportet: immo tanto ius est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur. Sanctissima naturae lex est, ut victu omniisque cultu paterfamilias tueatur quos ipse procreavit: idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, anquirere et parare, unde se honeste possint in ancipi vita cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos hereditate transmittat. Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus, veri nominis societas est, quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus quos proxima eius caussa præscriperit, in diligendis adhibendisque rebus incolumitati ac iustae libertati suae necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili iura obtinet. Paria saltem diximus, quia cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior,

quam civilis coniunctio, priora quoque esse magisque naturalia iura eius officiaque consequitur. Quod si cives, si familiae, convictus humanisocietatisque participes factae, pro adiumento offensionem, pro tutela diminutionem iuris sui in republica reperirent, fastidienda citius, quam optanda societas esset.

Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error.— Certe si qua forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis: sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo sicubi intra domesticos parietes gravis extiterit perturbatio iurium mutuorum, suum cuique ius potestas publica vindicato; neque enim hoc est ad se rapere iura civium, sed munire atque firmare iusta debitaque tutela. Hic tamen constant necesse est, qui praesint rebus publicis: hos excedere fines natura non patitur. Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. *Fili sunt aliquid patris*, et velut paternae amplificatio quædam personæ: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. Atque hac ipsa de caussa, quod filii sunt *naturaliter aliquid patris*... *antequam usum liberi arbitrii habeant*, continentur sub parentum cura⁽¹⁾. Quod igitur *Socialistæ*, posthabita providentia parentum, introducunt providentiam reipublicae, faciunt *contra iustitiam naturalem*, ac domorum compaginem dissolvunt.

Ac praeter iniustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutra. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias pateficeret: ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent: eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aequa misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio. — Ex quibus omnibus perspicitur, illud *Socialismi* placitum

15
MAI 1891

*Intima
domorum
potestas ci-
viles ne per-
vadat, extra
casum ne-
cessitatis,
ad suble-
vandam in-
opiam,*

*vel ad vin-
dicanda
partium
jura.*

*Filiī enim
sunt ali-
quid patris;
mediante
familia, ci-
vilem in-
eunt socie-
tatem.*

*Socialistæ
vero domo-
rum compa-
ginem dis-
solvunt.*

*3º Socialis-
tarum ratio
est subver-
siva ordi-
nis: nutrit
discordias,
desidiam,
miseriam.*

i. S. Thom. II-II, Quaest. X, art. XII.

*Recapitu-
latio.*

de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis, quibus est opitulandum, nocet, naturalibus singulorum iuribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas. Quo posito, remedium, quod exquiritur, unde petendum sit, explicabimus.

*Conclusio :
Fundamen-
tum ve-
rae suble-
vationis pri-
vata posses-
sio.***II. PARS
POSITIVA.****UNDE PE-
TENDUM SIT
REMEDIUM.***Sacro mu-
nere hic
fungitur
Pontifex.**Certe re-
quiritur
contentio
civilis pole-
statis, ac u-
triusque or-
dinis; sed
Ecclesia
posthabita
inanis erit
hominum
opera.***A) REME-
DIUM DI-
VINUM
PRÆBET
ECCLESIA
doctrina,
præceptis,
institutis.****I^o DOCTRINI-
NA.**
*Docet enim
Ecclesia :
a) inter ho-
mines ipsa
natura va-
rius esse
dissimili-
tudines, id-
que in bo-
num com-
munitatis;*

Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane iure Nostro; propterea quod caussa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaeque, reperiatur. Cum vero et religionis custodia, et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur.

Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec caussa desiderat: principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum: illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius; eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum præceptis suis contendit: quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis: quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere.

Illud itaque statuatur primo loco, ferendam esse conditio- nem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem *Socialistæ*: sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maxime plurimaeque natura dissimilitudines; non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimin sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum

communitatis accommodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. — Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso *statu innocentiae* non iners omnino erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiatione culpae subire non sine molestiae sensu coegit necessitas. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea runctis diebus vitae tuae* (¹). — Similique modo finis acerbatum reliquarum in terris nullus est futurus, quia mala peccati consectaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficilia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda invellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam pollicentur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam maiora praesentibus. Optimum factu res humanae, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommidis levamentum, uti diximus, aliunde petere.

Est illud in caussa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensem alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit quo modo in corpore diversa inter se membra convenient, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate preecepisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulcritudinem rerum atque ordinem: contra ex perpetuitate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Nunc vero ad dirimen-

¹⁵
MAI
1891.

b) *corporis laborem, in statu innocentiae amorem, post lapsum evasisse arduum;*

c) *reliquas acerbitates, quibus in panam vita prascens affigitur, tolli omnino non posse;*

d) *naturam utrumque ordinem comparari non ad digladiandum inter se, sed ad harmonice conspirandum.*

dum certamen, ipsasque eius radices amputandas, mira vis est institutorum christianorum, eaque multiplex.

*2º Ortum
vero certa-
men miri-
fice dirimit
Ecclesia.*

*PRÆCEP-
TIS
a) IUSTI-
TIÆ :
officia com-
mendans
a) alia pro-
letario et
opifici;*

*β) alia di-
vitibus ac
dominis:*

*a') veren-
dam in opif-
fice digni-
tatem hu-
manam et
christia-
nam, con-
ditionem
perhone-
stam, reli-
gionem, mo-
res, vires ac
sexum;*

*β') statuen-
dam ac sol-
vendam ex
integrojus-
tam merce-
dem,*

*vitandum.
que piacu-
lum cæle-
stem vindic-
tam exi-
gens;*

Ac primum tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, in primisque ad ea quae a iustitia ducuntur. Quibus ex officiis illa proletarium atque opificem attingunt; quod libere et cum aequitate pactum operaे sit, id integre et fideliter reddere: non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum: in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam: nec commisceri cum hominibus flagitious, immodicas spes et promissa ingentia artificiose iactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes. — Ista vero ad divites spectant ac dominos: non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi: neque ullo pacto a cura domestica parcimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat. — In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, caussae sunt considerandæ plures: sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumenti sui caussa indigentes ac miseros, alienaque ex inopia captare quaestum, non divina, non humana iura sinere. Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e caelo ultrices clamore devocat. *Ecce merces operario-*

rum... quae fraudata est a vobis, clamat; et clamore eorum in aures Domini Sabaoth introivit (1). — Postremo religiose ca-vendum locupletibus ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebris artibus: idque eo vel magis quod non satis illi sunt contra iniurias atque im-potentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda. His obtemperatio legibus nonne posset vim caus-saque dissidii vel sola restinguere?

Sed Ecclesia tamen, IESU CHRISTO magistro et duce, persequitur maiora: videlicet perfectius quiddam praeci-piendo, illuc spectat, ut alterum ordinem vicinitate pro-xima amicitiaque alteri coniungat. — Intelligere atque aestimare mortalia ex veritate non possumus, nisi dis-pexerit animus vitam alteram eamque immortalem: qua quidem dempta, continuo forma ac vera notio honesti interiret; immo tota haec rerum universitas in arcanum abiret nulli hominum investigationi pervium. Igitur, quod natura ipsa admonente didicimus, idem dogma est christianum, quo ratio et constitutio tota religionis tamquam fundamento principe nititur, cum ex hac vita excesserimus, tum vere nos esse victuros. Neque enim Deus hominem ad haec fragilia et caduca, sed ad caelestia atque aeterna gene-ravit, terramque nobis ut exulandi locum, non ut sedem habitandi dedit. Divitiis ceterisque rebus, quae appellantur bona, affluas, careas, ad aeternam beatitudinem nihil interest: quemadmodum utare, id vero maxime interest. Acerbitates varias, quibus vita mortalis fere contexitur, IESUS CHRI-STUS copiosa redemptione sua nequaquam sustulit, sed in vir-tutum incitamenta, materiamque bene merendi traduxit: ita plane ut nemo mortalium queat praemia sempiterna capessere nisi cruentis IESU CHRISTI vestigiis ingrediatur. *Si sustinebimus, et conregnabimus* (2). Laboribus ille et cru-ciatis sponte susceptis, cruciatuum et laborum mirifice vim delenivit: nec solum exemplo, sed gratia sua per-pe-tuaeque mercedis spe proposita, permissionem dolorum effecit faciliorem: *id enim, quod in praesenti est momenta-*

15
MAY
1891.

γ) compen-dia proleta-riorum fo-venda.

b) CHARI-TATIS in-super præ-ceptis Eccle-sia utrum-que ordi-nem proxi-me conjun-git. Docet enim:

α) omnes :
α') vita præsenti per brevi æternam vitam suc-cessuram, quæ vera vita est;
β') ad quam acqutren-dam non condurit bo-norum ter-restrium possessio, sed usus;

γ) præser-timque la-bores exem-plo IESU CHRISTI patienter tolerati.

neum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis (1).

β) Docet insuper Ecclesia divites :

ω') opes acquirendae felicitati aeterna obesse magis quam prodesse;

β') bona, eti juste possessa, in levamen- tum tamen egentium ipsis esse commissa,

Itaque fortunati monentur, non vacuitatem doloris afferre, nec ad felicitatem aevi sempiterni quicquam prodesse divitias, sed potius obesse (2); terrori locupletibus esse debere IESU CHRISTI insuetas minas (3); rationem de usu fortunarum Deo iudici severissime aliquando reddendam.

De ipsis opibus utendis excellens ac maximi momenti doctrina est, quam si philosophia inchoatam at Ecclesia tradidit perfectam plane, eademque efficit ut non cognitione tantum, sed moribus teneatur. Cuius doctrinae in eo est fundamentum positum, quod iusta possessio pecuniarum a iusto pecuniarum usu distinguitur. Bona privatim possidere, quod paulo ante vidimus, ius est homini naturale : eoque uti iure, maxime in societate vitae, non fas modo est, sed plane necessarium. *Licitum est quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam (4).* At vero si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, Ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet : *quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriore ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit : divitibus huius saeculi praecipe... facile tribuere, communicare (5).* Nemo certe opitulari aliis de eo iubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios : immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personae conveniat : quodque deceat : *nullus enim inconvenienter vivere debet (6).*

id est, ut superfluum, non quidem ex iustitia sed ex charitate cum pauperibus communient.

Quæ com- municatio, Christo te- ste, prædul- cis est, quasi ipsi Christo facta.

Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. *Quod superest, date eleemosinam (7).* Non iustitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christiana, quam profecto lege agendo petere ius non est. Sed legibus iudiciisque hominum lex antecedit iudiciumque Christi Dei, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi : *beatus est magis dare, quam accipere (8) : et collatam negatamve pauperibus beneficentiam*

1. II Cor., IV, 17. — 2. Matth., XIX, 23-24. — 3. Luc., VI, 24-25. — 4. II-II. Quaest., LXVI, a. II. — 5. II-II, Quaest. LXV, a. II. — 6. II-II. Quaest. XXXII, VI. — 7. Luc., XI, 41. — 8. Act., XX, 35.

perinde est ac sibi collatam negatamve iudicaturus. *Quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (¹).

Quarum rerum haec summa est; quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc caussam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. *Habens ergo talentum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, viglet ne a misericordiae largitate torpescat: habens artem regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur* (²).

Bonis autem fortunae qui careant, ii ab Ecclesia perdo-centur, non probro haberi, Deo iudice, paupertatem, nec eo pudendum, quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto Christus Dominus, qui pro salute hominum *eugenus factus est, cum esset dives* (³): cumque esset Filius Dei ac Deus ipsem, videri tamen ac putari fabri filius voluit: quin etiam magnam vitae partem in opere fabrili consumere non recusavit. *Nonne hic est faber, filius Mariae* (⁴)? Huius divinitatem exempli intuentibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est in virtute, positam: virtutem vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis, divitibus et proletariis aequa parabile: nec aliud quippiam quam virtutes et merita, in quocumque reperiantur, mercedem beatitudinis aeternae sequuturam. Immo vero in calamitosorum genus propensior Dei ipsius videtur voluntas: beatos enim IESUS CHRISTUS nuncupat pauperes (⁵): invitat peramanter ad se, solatii caussa, quicumque in labore sint ac luctu (⁶): infirmos et iniuria vexatos complectitur caritate praecipua. Quarum cognitione rerum facile in fortunatis deprimitur tumens animus, in aerumnosis demissus extollitur: alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam flectuntur. Sic cupidum superbiae intervallum efficitur brevius, nec difficulter impetrabitur ut ordinis utriusque, iunctis amice dextris, copulentur voluntates.

¹⁵
MAI
1891.

Docet verbo Ecclesia omnes qualicumque copia bonorum in aliorum usus a Deo esse ditatos.

^{γ)} *Docet de-mum bonis fortunæ ca-rentes:*
^{α)} *perma-gnum esse statum quem Fili-us Dei am-plexus est;*
^{β)} *veras divitias in virtutibus esse positas;*

^{γ')} *propen-siorem cor Dei ad pau-peres habere volunta-tem.*

Qua doctri-na amice utriusque ordinis a-nimi copu-lantur.

1. Matth., xxv, 40. — 2. S. Greg. Magn. in Evang. Hom. X n. 7. — 3. II Cor., III, 8. — 4. Marc., VI, 9. — 5. Matth., V, 3; *Beati pauperes spiritu.* — 6. Matth., XI, 28; *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

c) Nec sat
tis : chri
stiana prae
cepta FRA
TERNUM
gignunt
AMOREM.

Omnium
hominum,
x) unus est
Creator,
3) unus fi
nis,
γ) unus Re
demptor,
primogeni
tus inter
fratres,
δ) unus
gratiarum
thesaurus.

3º Demum
remedium
ipsa Eccle
sia adhibet
INSTITUTIS
SUIS.
a) Animos
instituit
per mini
sterium
hierarchi
cum divi
nitus effi
cax, et inti
ma homi
num attin
gens.

Quos tamen, si christianis praeceptis paruerint, parum est amicitia, amor etiam fraternus inter se coniugabit. Sentient enim et intelligent, omnes plane homines a communi parente Deo procreatos: omnes ad eumdem finem bonorum tendere, qui Deus est ipse, qui afficere beatitudine perfecta atque absoluta et homines et Angelos unus potest : singulos item pariter esse IESU CHRISTI beneficio redemptos et in dignitatem filiorum Dei vindicatos, ut plane necessitudine fraterna cum inter se tum etiam cum Christo Domino, *primogenito in multis fratribus*, contineantur. Item naturae bona, munera gratiae divinae pertinere communiter et promiscue ad genus hominum universum, nec quemquam, nisi indignum, bonorum caelestium fieri exheredem. *Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (¹).

Talis est forma officiorum ac iurium, quam christiana philosophia profitetur. Nonne quieturum perbrevi tempore certamen omne videatur, ubi illa in civili convictu valeret ?

Denique nec satis habet Ecclesia viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam. Nam tota in eo est ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat : cuius doctrinae saluberrimos rivos, Episcoporum et Cleri opera, quam latissime potest, curat deducendos. Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut divinorum disciplina praeceptorum regi se gubernarique patientur. Atque in hac parte, quae princeps est ac permagni momenti, quia summa utilitatum caussaque tota in ipsa consistit Ecclesia quidem una potest maxime. Quibus enim instrumentis ad permovendos animos utitur, ea sibi hanc ipsam ob caussam tradita a IESU CHRISTO sunt, virtutemque habent divinitus insitam. Istiusmodi instrumenta sola sunt, quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, hominemque adducere ut obedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, Deum et proximos caritate diligat singulari ac summa, omniaque animose perrumpat, quae virtutis impediunt cursum.

Satis est in hoc genere exempla veterum paulisper cogitatione repetere. Res et facta commemoramus, quae dubitationem nullam habent : scilicet civilem hominum communitatem funditus esse institutis christianis renovatam : huiusce virtute renovationis ad meliora promotum genus humanum, immo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque perfectione tanta, ut nec extiterit ulla antea, nec sit in omnes consequentes aetates futura maior. Denique IESUM CHRISTUM horum esse beneficiorum principium eumdem et finem : ut ab eo profecta, sic ad eum omnia referenda. Nimirum accepta Evangelii luce, cum incarnationis Verbi hominumque redemptionis grande mysterium orbis terrarum didicisset, vita IESU CHRISTI Dei et hominis pervasit civitates, eiusque fide et praceptis et legibus totas imbuit. Quare si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur. De societatibus enim dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt, oportere. Haec enim omnium consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi, cuius gratia institutae sunt : ita ut motus actusque sociales eadem caussa pariat, quae peperit societatem. Quamobrem declinare ab instituto, corruptio est : ad institutum redire sanatio. Verissimeque id quemadmodum de toto reipublicae corpore, eodem modo de illo ordine civium dicimus, qui vitam sustentant opere, quae est longe maxima multitudo.

Nec tamen putandum, in colendis animis totas esse Ecclesiae curas ita defixas, ut ea negligat quae ad vitam pertinent mortalem ac terrenam. De proletariis nominatim vult et contendit ut emergant e miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id consert hoc ipso operam non mediocrem, quod vocat et instituit homines ad virtutem. Mores enim christiani, ubi serventur integri, partem aliquam prosperitatis sua sponte pariunt rebus externis, quia conciliant principium ac fontem omnium bonorum Deum ; coercent geminas vitae pestes, quae nimium saepe hominem efficiunt in ipsa opum abundantia miserum, rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim (¹) : contenti deni-

¹⁵
MAII
1891.

Cujus mi-
nisterii
virtutem
historia te-
statur.

In JESU
CHRISTO
olim in-
staurata et
per ipsum
ad culmen
olim perfe-
ctionis ad-
vectæ,

ad eum re-
deant oportet
dilaben-
tes societa-
tes.

b) Nec ta-
men corpo-
ralem vita:n
neglexit,
Ecclesia.
præsertim
proletario-
rum.

a) Indire-
cte regendo
mores.

¹. Radix omnium malorum est cupiditas. I Tim., vi, 10.

*imprimis
appeten-
tiam rerum
ac voluptu-
tum situm
coercendo.*

que cultu victuque frugi, vectigal parsimonia supplant, procul a vitiis, quae non modo exiguae pecunias, sed maximas etiam copias exhauriunt, et lauta patrimonia dissipant. Sed praeterea, ut bene habeant proletarii, recta providet, institutus foveandisque rebus, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligat conducibles.

*β) Directe,
cujusvis ge-
neris in-
stituta fo-
vendo ad
sublevan-
dam ino-
piam.*

Quin in hoc etiam genere beneficiorum ita semper excelluit, ut ab ipsis inimicis praedicatione efferatur. Ea vis erat apud vetustissimos christianos caritatis mutuae, ut persaepe sua se re privarent, opitulandi caussa, divitiores: quamobrem neque... quisquam egens erat inter illos ⁽¹⁾. Diaconis, in id nominatim ordine instituto, datum ab Apostolis negotium, ut quotidianaे beneficentiae exercerent munia: ac Paulus Apostolus, etsi sollicitudine districtus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens afferret. Cuius generis pecunias, a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, deposita pietatis nuncupat Tertullianus, quod scilicet insumerentur egenis alendis humandisque, et pueris ac pueris re ac parentibus destitutis, inque domesticis senibus, item naufragis ⁽²⁾.

*β') Inde or-
tum ingens
pauperum
patrimoni-
um semper
fideliter
custodivit,
auxit, re-
xit.*

Hinc sensim illud extitit patrimonium, quod religiosa cura tamquam rem familiarem indigentium Ecclesia custodivit. Immo vero subsidia miserae plebi, remissa rogandi verecundia, comparavit. Nam et locupletium et indigentium communis parens, excitata ubique ad excellentem magnitudinem caritate, collegia condidit sodalium religiosorum, aliaque utiliter permulta instituit, quibus opem ferentibus, genus miseriarum prope nullum esset, quod solatio careret. Hodie quidem multi, quod eodem modo fecere olim ethnici, ad arguendam transgrediuntur Ecclesiam huius etiam tam egregiae caritatis: cuius in locum subrogare visum est constitutam legibus publicis beneficentiam. Sed quae christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanae nullae reperientur. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo IESU

*γ') In cuius
loco benefi-
centiae ex-
caritate ex-
frustra co-
nuntur sub-
rogare be-
neficentiam
legalem.*

CHRISTI corde ducitur, nulla est uspiam : vagatur autem a Christo longius, quicumque ab Ecclesia discesserit.

At vero non potest esse dubium quin, ad id quod est propositum, ea quoque, quae in hominum potestate sunt, adiumenta requirantur. Omnino omnes, ad quos caussa pertinet, eodem intendant idemque laborent pro rata parte necesse est. Quod habet quamdam cum moderatrice mundi providentia similitudinem : fere enim videmus rerum exitus a quibus caassis pendent, ex earum omnium conspiratione procedere.

Iamvero quota pars remedii a republica expectanda sit, praestat exquirere. — Re*publicam* hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae documenta sapientiae, quae Nos ipsi nominatim in litteris Encyclicis de civitatum constitutione christiana explicavimus.

Itaque per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent tota ratione legum atque institutorum, scilicet efficiendo ut ex ipsa conformatio atque administratione re*publicae* ultro prosperitas tam com munitatis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum qui praesunt officium. Nunc vero illa maxime efficiunt prosperas civitates, morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac iustitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aeque partitio incrementa artium et mercatura*e*, florens agrorum cultura, et si qua sunt alia generis eiusdem, quae quo maiore studio provehuntur, eo melius sunt victuri cives et beatius. — Harum igitur virtute rerum in potestate rectorum civitatis est, ut ceteris prodesse ordinibus, sic et proletariorum conditionem iuvare plurimum : idque iure suo optimo, neque ulla cum importunitatis suspicione : debet enim res*publica* ex lege muneris sui in commune consulere. Quo autem commodorum copia provenerit ex hac generali providentia maior, eo minus oportebit alias ad opificum salutem experiri vias.

Sed illud praeterea considerandum, quod rem altius attingit, unam civitatis esse rationem, communem summorum

15
MAI
1891.

B) REMEDIA HUMANNA
Ecclesiæ
adiumenta
praestent oportet.

A') QUID A REPUBLICA EXPECTANDUM. — Res*publica* christiana hic intelligitur.

1º CONSIDERATIONES GENERALIORES.
a) Civilis potestatis est publicam sovere prosperitatem, scilicet moralē, religiosam, domesticam, aconomicam.

Hoc agens omnibus, praesertim proletariis, iure proprio, consulet.

b) *Specia-*
lius prole-
tiorum
curam res-
publica
utriusque
ordinis fau-
trix habeat;
nam prole-
tarii, nu-
mero majo-
res,

etsi directe
in commu-
ne bonum
minus con-
ferunt
quam ordo
gubernans,

multum
tamen pro-
sunt,

atque infimorum. Sunt nimirum proletarii pari iure cum locupletibus natura cives, hoc est partes verae vitamque viventes, unde constat, interiectis familiis, corpus reipublicae : ut ne illud adiungatur, in omni urbe eos esse numero longe maximo. Cum igitur illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere : ni fiat, violatum iri iustitiam suum cuique tribuere praecipientem. Qua de re sapienter, S. Thomas : *sicut pars et totum quodammodo sunt idem, ita id, quod est totius, quodammodo est partis* (¹). Proinde in officiis non paucis neque levibus populo bene consulentium principum, illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, ea nimirum, quae *distributiva* appellatur iustitia inviolate servanda.

Quamvis autem cives universos, nemine excepto, conferre aliquid in summam bonorum communium necesse sit, quorum aliqua pars virilis sponte recidit in singulos, tamen idem et ex aequo conferre nequaquam possunt. Qualescumque sint in imperii generibus vicissitudines, perpetua futura sunt ea in civium statu discrimina, sine quibus nec esse, nec cogitari societas ulla posset. Omnino necesse est quosdam repriri, qui se reipublicae dedant, qui leges condant, qui ius dicant, denique quorum consilio atque auctoritate negotia urbana, res bellicae administrentur. Quorum virorum priores esse partes, eosque habendos in omni populo primarios, nemo non videt, propterea quod communi bono dant operam proxime atque excellenti ratione. Contra vero qui in arte aliqua exercentur, non ea, qua illi, ratione nec iisdem muneribus prosunt civitati: sed tamen plurimum et ipsi, quamquam minus directe, utilitati publicae inserviunt. Sane sociale bonum cum debeat esse eiusmodi, ut homines eius fiant adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum.

Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum, quo-

rum usus est necessarius ad actum virtutis (¹). Iamvero his pariendis bonis est proletariorum maxime efficax ac necessarius labor, sive in agris artem atque manum, sive in officinis exerceant. Immo eorum in hoc genere vis est atque efficientia tanta, ut illud verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum. Iubet igitur aequitas, curam de proletario publice geri, ut ex eo, quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid, ut tectus, ut vestitus, ut salvus vitam tolerare minus aegre possit. Unde consequitur, favendum rebus omnibus esse quae conditioni opificum quoquo modo videantur profuturae. Quae cura tantum abest ut noceat cuiquam, ut potius profutura sit universis, quia non esse omnibus modis eos miseros, a quibus tam necessaria bona proficiscuntur, prorsus interest reipublicae.

Non civem, ut diximus, non familiam absorberi a republica rectum est : suam utrique facultatem agendi cum libertate permittere aequum est, quantum incolumi bono communi et sine cuiusquam iniuria potest. Nihilominus eis, qui imperant, videndum ut communitatem eiusque partes tueantur. Communitatem quidein, quippe quam summae potestati conservandam natura commisit usque eo, ut publicae custodia salutis non modo suprema lex, sed tota caussa sit ratioque principatus : partes vero, quia prourationem reipublicae non ad utilitatem eorum, quibus commissa est, sed ad eorum, qui coimmissi sunt, natura pertinere, philosophia pariter et fides christiana consentiunt. Cumque impandi facultas profiscatur a Deo, eiusque sit communicatio quaedam summi principatus, gerenda ad exemplar est potestatis divinae, non minus rebus singulis quam universis cura paterna consulentis. Si quid igitur detrimenti allatum sit aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit, obviam iri auctoritate publica necesse est. — Atqui interest salutis cum publicae, tum privatae pacatas esse res et compositas: item dirigi ad Dei iussa naturaeque principia

¹⁵
MAI
1891.

*imprimis
affluentiam
bonorum
externorum
per laborem
præstanto.*

*Invigilet
ergo respu-
blica, in-
tuitu com-
munis boni,
ut hujus
affluentiae
debitam
partem et
ipsi perci-
piant.*

c) *Insuper,
qui præ-
sunt reipu-
blicæ, sunt
custodes
ordinis et
jurium.*

*Propter
communi-
tatem, non
propter sei-
psos potesta-
tem gerunt.*

*a) Atqui
ordinis
multum in-
terest quod
religio, boni*

mores, corporis vigor, familia, artes florent;

omnem convictus domestici disciplinam : observari et coli religionem : florere privatim ac publice mores integros : sanctam retineri iustitiam, nec alteros ab alteris impune violari : validos adolescere cives, iuvandae tutandaeque, si res postulet, civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas : ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur : ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo commodi ad officia pietatis : si periculum in officinis integratati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi : aut opificum ordinem herilis ordo inquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat : si valetudini noceatur opere immodeco, nec ad sexum aetatemve accommodato, his in caussis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, caussa determinat : videlicet non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi depulsio requirat.

unde ubi cumque ista periclitantur, sine potestatis ope dampnum captura, haec interveniat oportet.

3) Jura quidem, praesertim infirmorum et inopum vindicare debet.

Iura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt : atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis. Nisi quod in ipsis protegendi privatorum iuribus, praecipue est infirmorum atque inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica : miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respublica.

*2º APPLICANTUR HÆC PRINCIPIA.
a) Ut possidentium jura civilis potestas tuteatur,*

Sed quaedam maioris momenti praestat nominatim perstringere. — Caput autem est, imperio ac munimento legum tutari privatas possessiones oportere. Potissimumque, in tanto iam cupiditatum ardore, continenda in officio plebs : nam si ad meliora contendere concessum est non repugnante iustitia, at alteri, quod suum est, detrahere, ac per speciem absurdæ cuiusdam aequabilitatis in fortunas alienas involare, iustitia vetat, nec ipsa communis utilitatis ratio sinit. Utique pars opificum longe maxima res meliores honesto

labore comparare sine cuiusquam iniuria malunt; verumtamen non pauci numerantur pravis imbuti opinionibus rerumque novarum cupidi, qui id agunt omni ratione ut turbas moveant, ac ceteros ad vim impellant. Intersit igitur reipublicae auctoritas, in ictoque concitatoribus freno, ab opificum moribus corruptrices artes, a legitimis dominis periculum rapinarum coercent.

Loginquier vel operosior labor, atque opinatio curtae mercedis caussam non raro dant artificibus quamobrem opere se solvant ex composito, otioque dedant voluntario. Cui quidem incommodo usitato et gravi medendum publice, quia genus istud cessationis non heros dumtaxat, atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus: cumque haud procul esse a vi turbis que soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit. Qua in re illud magis efficax ac salubre, antevertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature caassis, unde dominorum atque operariorum conflictus videatur extiturus.

Similique modo plura sunt in opifice, praesidio munienda reipublicae: ac primum animi bona. Siquidem vita mortaliss quamvis bona et optabilis, non ipsa tamen illud est ultimum, ad quod nati sumus; sed via tantummodo atque instrumentum ad animi vitam perspicientia veri et amore boni complendam. Animus est, qui expressam gerit imaginem similitudinemque divinam, et in quo principatus ille residet, per quem dominari iussus est homo in inferiores naturas, atque efficere utilitati suae terras omnes et maria parentia. *Replete terram et subiicie eam: et dominamini pisibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram* (¹). Sunt omnes homines hac in re parens, nec quippiam est quod inter divites atque inopes, inter dominos et famulos, inter principes privatosque differat: nam *idem dominus omnium* (²). Nemini licet hominis dignitatem, de qua Deus ipse disponit *cum magna reverentia, impune violare, neque ad eam perfectionem impedire cur-*

¹⁵
MAII
1891.

a) cohibebit
cupiditates
violentas
plebis et
concitato-
res perva-
sos;

b) medebi-
tur, pre-
sertim pre-
veniendo
causas, in-
commodo
grassanti,
quod arti-
ficiibus ex
composito
opere sol-
ventibus,
respublica
patitur.

b) Ad opi-
ficem pre-
sidio mu-
niendum,

a) impri-
mis in ipsis
bona animi
tutabitur.

secundum
que, infe-
rioribus
naturis do-
minari ius-
si, omnes
homines pa-
res sunt,

1. Gen., I, 28. — 2. Rom., X, 12.

sum, quae sit vitae in caelis sempiternae consentanea. Quin etiam in hoc genere tractari se non convenienter naturae suae, animique servitutem servire velle, ne sua quidem sponte homo potest: neque enim de iuribus agitur, de quibus sit integrum homini, verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari.

*quæque ipse
homo abdi-
care non
potest.*

Hinc consequitur requies operum et laborum per festos dies necessaria. Id tamen nemo intelligat de maiore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, quam multi expetunt, fautrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutrice, sed omnino de quiete operum per religionem consecrata. Coniuncta cum religione quies sevocat hominem a laboribus negotiisque vitae quotidiana ut ad cogitanda revocet bona caelestia, tribuendumque cultum numini aeterno iustum ac debitum. Haec maxime natura atque haec caussa quietis est in dies festos capienda: quod Deus et in Testamento veteri praecipua lege sanxit: *Memento ut diem sabbati sacrifices* (¹); et facto ipse suo docuit, arcana quiete, statim posteaquam fabricatus hominem erat, sumpta: *Requievit die septimo ab universo opere quod patrarat* (²).

*β) Bona
corporalia
et externa
tutabitur,*

*α') invigi-
lando ut in
labore vi-
rium et
temporum
ratio serve-
tur.*

*Quo magis
onerosus la-
bor est, eo
productior
sit requies.*

Quod ad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium. Scilicet tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio, unaque corpus defatigationi succumbat, non iustitia, non humanitas patitur. In homine, sicut omnis natura sua, ita et vis efficiens certis est circumscripta finibus, extra quos egredi non potest. Acuitur illa quidem exercitatione atque usu, sed hac tamen lege ut agere intermit-tat identidem et acquiescat. De quotidiano igitur opere videndum ne in plures extrahatur horas, quam vires, sinant. Intervalla vero quiescendi quanta esse oporteat ex vario genere operis, ex adjunctis temporum et locorum, ex ipsa opificum valetudine iudicandum. Quorum est opus lapidem e terra excindere, aut ferrum, aes, aliaque id genus effodere penitus abdita, eorum labor, quia multo maior est

1. *Exod.*, xx, 8. — 2. *Gen.*, II, 2.

idemque valetudini gravis, cum brevitate temporis est compensandus. Anni quoque dispicienda tempora: quia non raro idem operaे genus alio tempore facile est ad tolerandum, alio aut tolerari nulla ratione potest, aut sine summa difficultate non potest. — Denique quod facere enitique vir adulta ætate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare. Immo de pueris valde cavendum, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio precox elidit: qua ex re omnis est institutio puerilis interitura. Sic certa quae-dam artificia minus apte convenientiunt in feminas ad opera domestica natas: quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutione prospexitatique familiae natura respondent. Universe autem statuatur, tantum esse opificibus tribuendum otii, quantum cum viribus compensetur labore consumptis; quia detritas usu vires debet cessatio restituere. In omni obligatione, quae dominis atque artificibus invicem contrahatur, haec semper aut adscripta aut tacita conditio inest, utrique generi quiescendi ut cautum sit; neque enim honestum esset convenire secus, quia nec postulare cuiquam fas est, nec spondere neglectum officiorum, quac vel Deo vel sibimetipsi hominem obstringunt.

Rem hoc loco attingimus sat magni momenti: quae recte intelligatur necesse est, in alterutram partem ne peccetur. Videlicet salarii definitur libero consensu modus: itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri iniuste, si vel premium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret: his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique ius incolumē sit, sed praeterea nullis. — Cui argumentationi aequus rerum iudex non facile, neque in totum assentiatur, quia non est absoluta omnibus partibus: momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum caussa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae. *In sudore vultus*

15
MAY
1891.

^{3') Invigi-}
*lando ne
pueri matu-
rius, semi-
næ in dam-
num sexus
vel domus
laborent;*

*ad quæ om-
nia in con-
tractibus
respectus
habeatur
oportet.*

^{4') Invigi-}
*lando ne
justa mer-
cede labor
privetur.*

Obiicitur:
*Mercede, de
qua libere
inter partes
conventum
est, integre
soluta, sal-
va justitia
habenda
est.*

Resp. : Hoc non sufficit. Labor, divino instituto victui inserviens, duplēm nictam continet : aliam personalitatis, iuxta quam opifex potest libere de angustiore mercede convenire;

*tui vesceris pane (¹). Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata: deinde ut sit *necessarius*, ob hanc caussam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet. Iamvero si ex ea dumtaxat parte spectetur quod *personalis* est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum; quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest.*

aliam necessitatis, iuxta quam lege naturae labor negavit esse sustentandæ vitae impar.

Nullus est habendus contractus in quo hæc lex violatur.

Sed longe aliter iudicandum si cum ratione *personalitatis* ratio coniungitur *necessitatis*, cogitationi quidem non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur: quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, id que libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus duriorum conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat.

Caveat tamen potestas publica ne importunius sese in hæc inferrat;

quæ satius privatissimis collegiis curanda relinquentur.

Verumtamen in his similibusque caassis, quales illae sunt in unoquoque genere artificii quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adiuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res iudicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae.

Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae, si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus, aliquid etiam redundet, quo sibi licet ad modicum censem pervenire. Neque enim efficaciatione dirimi caussam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, ius privatorum bonorum sanctum esse oportere. Quamobrem favere huic iuri leges debent, et quoad potest, providere ut quamplurimi ex multitudine rem habere malint.—Quo facto, praeclarae utilitates consecutuae sunt; ac primum certe aequior partitio bonorum. Vis enim commutationum civilium in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utrumque discriminē interictō. Ex una parte factio praepotens, quia praedives: quae, cum operum et mercaturaē universum genus sola potiatur, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera inops atque infirma multitudo, exulcerato animo et ad turbas semper parato. Iamvero si plebis excitetur industria in spem adipiscendi quippiam, quod solo contineatur, sensim fiet ut alter ordo evadat finitimus alteri, sublato inter summas divitias summaque egestatem discriminē. — Praeterea rerum, quas terra gignit, maior est abundantia futura. Homines enim, cum se elaborare sciunt in suo, alacritatem adhibent studiumque longe maius: immo prorsus adamare terram instituunt sua manu percultam, unde non alimenta tantum, sed etiam quamdam copiam et sibi et suis expectant. Ista voluntatis alacritas, nemo non videt quam valde conferat ubertatem fructuum, augendasque divitias civitatis. — Ex quo illud tertio loco manabit commodi, ut qua in civitate homines editi susceptique in lucem sint, ad eam facile retineantur: neque enim patriam cum externa regione commutarent, si vitae degendae tolerabilem daret patria facultatem. — Non tamen ad haec commoda perveniri nisi ea conditione potest, ut privatus census ne exhauriatur immanitate tributorum et vectigalium. Ius enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ip-

¹⁵
MAI
1891.

δ) Procurando ut opifices, parcimoniae studentes, ad modicum censem perveniant.

Ex quo plura bona sequentur:

α") aequior partitio bonorum et proinde immutatum discriminē inter utrumque ordinum;

β") major abundantia rerum, quas terra gignit, duplicata voluntatis alacritate;

γ") civibus facultas felicem in patria ducendi vitam.

Ad hæc obtinenda modica sit auctoritas publica in statuendis tributis.

sius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest. Faciat igitur iniuste atque inhumane, si de bonis privatorum plus aequo, tributorum nomine, detraxerit.

B') QUID
IN HAC RE
POSSINT
DOMINI ET
OPIFICES.

Institutis variis multum possunt, sed præsertim, ut docet historia, sodalitis opificum,

præsenti tempori accommodatis,

sive ex uno ordine, sive ex utroque conflatis.

*Hæc so-
la-
litia
1º legitima
sunt.
Fundamen-
tum habent
jus natura-
le cocundi
ad mutuum
levamen.*

Postremo domini ipsique opifices multum hac in causa possunt, iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alterum. Numeranda in hoc genere sodalitia ad suppetias mutuo ferendas: res varias, privatorum providentia constitutas, ad cavendum opifici itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid subitum ingruat, si debilitas affixerit, si quid humanitus accidat: instituti patronatus, pueris, puellis, adolescentibus natuque maioribus tutandis. Sed principem locum obtinent sodalitia artificum, quorum complexu fere cetera continentur. Fabrum corporatorum apud maiores nostros diu bene facta constitere. Revera non modo utilitates praeclaras artificibus, sed artibus ipsis, quod perplura monumenta testantur, decus atque incrementum peperere. Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opicum flecti ad praesentem usum necesse est. Vulgo coiri eius generis sociates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est; optandum vero ut numero et actuosa virtute crescant. Etsi vero de iis non semel verba fecimus, placet tamen hoc loco ostendere, eas esse valde oportunas, et iure suo coalescere: item qua illas disciplina uti, et quid agere oporteat.

Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere. Sacram litterarum est illa sententia: *Melius est duos esse simul quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* ⁽¹⁾. Atque illa quoque: *Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* ⁽²⁾. Hac homo propensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societas expedit, exiguae illas quidem nec perfectas, sed societas

1. Eccl., IV, 9, 12. — 2. Prov., XXIII, 19.

tes tamen. Inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono: cuius omnes et singulos proportione compotes esse ius est. Quare appellatur *publica* quia per eam *homines sibi invicem communicant in una re-publica constituenda* (¹). Contra vero, quae in eius velut sinu iunguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos.

Privata autem societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum coniungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur (²). Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, eiusque sunt velut partes totidem, tamen universa ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum: eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsi quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles.

Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: scilicet si quidquam ex instituto persequantur quod cum probitate, cum iustitia, cum reipublicae salute aperte dissideat. Quibus in caussis iure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impedit: iure etiam dissolvet coalitas: summam tamen adhibeat cautio-nem necesse est, ne iura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis publicae statuat, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione, adeoque cum lege Dei sempiterna consen-tiant (³).

15
MAI 1891.

*Sunt verae
societates,
licet imper-
fectae, diffe-
rentes a re-
publica ex
fine proxi-
mo.*

*Proin civi-
tas nequit
violare jus
coeundi a
quo et ipsa
est orta;*

*nisi insti-
tutum, cum
justitia,
cum æqui-
tate, cum
ordine pu-
blico pu-
gnet. — Sed
et tunc cau-
te proscri-
bendum.*

1. S. Thom., *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, cap. II. — 2. Ib.

3. *Lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis, violentiae cuiusdam.* (S. Thom. *Sum. Theol.*, I-II, Quaest. XIII. a. III.)

*Inter hæc
instituta
primum lo-
cum tenent
ordines
religiosi,
bono com-
muni peruti-
tiles, quos,
ut religiosi
sunt, ad
Ecclesiam
spectantes,
ut sodalitia
sunt, a pu-
blica pot-
estate a-
quam est
gaudere li-
bertate
summa,
jure perso-
næ moralis
ac fortunis
vere suis.*

*Dannatur
abusus con-
trarius, ut
dupliciter
injustus.*

*2º Perop-
portuna
sunt hæc
sodalitia
catholica.*

*Quum
enim jam
multa hu-
jus generis
non chri-
stiano no-
mini, non
saluti civi-
tatum con-
sentanea
existant,
opifices
christiani,
a periculo*

Sodalitates varias hic reputamus animo et collegia et ordinates religiosos, quos Ecclesiae auctoritas et pia christiano-rum voluntas genuerant: quanta vero cum salute gentis humanae, usque ad nostram memoriam historia loquitur. Societas eiusmodi, si ratio sola diiudicet, cum initiae honesta caussa sint, iure naturali initas appetet fuisse. Qua vero parte religionem attingunt, sola est Ecclesia cui iuste pareant. Non igitur in eas quicquam sibi arrogare iuris, nec earum ad se traducere administrationem recte possunt, qui praesint civitati: eas potius officium est reipublicae vereri, conservare, et, ubi res postulaverint, iniuria prohibere. Quod tamen longe aliter fieri hoc præsertim tempore vidimus. Multis locis communites huius generis respública violavit, ac multipli quidem iniuria: cum et civilium legum nexo devinxerit, et legitimo iure personæ moralis exuerit, et fortunis suis despoliarit. Quibus in fortunis suum habebat Ecclesia ius, suum singuli sodales, item qui eas certae quidam caussae addixerant et quorum essent commodo ac solatio addictae. Quamobrem temperare animo non possumus, quin spoliations eiusmodi tam iniustas ac perniciosas conqueramur, eo vel magis quod societatibus catholicorum virorum, pacatis iis quidem et in omnes partes utilibus, iter præcludi videmus, quo tempore edicitur, utique coire in societatem per leges licere: eaque facultas large revera hominibus permittitur consilia agitantibus religioni simul ac reipublicae perniciosa.

Profecto consociationum diversissimarum, maxime ex opificibus, longe nunc maior, quam alias frequentia. Plures unde ortum ducant, quid velint, qua grassetur via, non est huius loci querere. Opinio tamen est, multis confirmata rebus, præcesse ut plurimum occultiores auctores, eosdemque disciplinam adhibere non christiano nomini, non saluti civitatum consentaneam: occupataque efficiendorum operum universitate, id agere ut, qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur. — Hoc rerum statu, alterutrum malint artifices christiani oportet, aut nomen collegiis dare, unde periculum religioni extimescendum; aut sua inter se sodalitia condere, viresque hoc pacto coniungere, quo se

animose queant ab illa iniusta ac non ferenda oppressione redimere. Omnino optari hoc alterum necesse esse, quam potest dubitationem apud eos habere, qui nolint summum hominis bonum in praesentissimum discrimen coniicere?

Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto quid a se tempora postulent, experiuntur ac tentant qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint. Quorum patrocinio suscepto, prosperitatem augere cum domesticam tum singulorum student: item moderari cum aequitate vincula, quibus invicem artifices et domini continentur: alere et confirmare in utrisque memoriam officii atque evangelicorum custodiam praeceptorum; quae quidem praecepta, hominem ab intemperantia revocando, excedere modum vetant, personarumque et rerum dissimilimo statu harmoniam in civitate tuentur. Hac de caussa unum in locum saepe convenire videmus viros egregios, quo communicent concilia invicem, viresque iungant, et quid maxime expedire videatur, consultent. Alii varium genus artificum opportuna copulare societate student, consilio ac re iuvant, opus ne desit honestum ac fructuosum, provident. Alacritatem addunt ac patrocinium impertunt Episcopi: quorum auctoritate auspiciisque plures ex utroque ordine cleri, quae ad excolendum animum pertinent, in consociatis sedulo curant. Denique catholici non desunt copiosis divitiis, sed mercenariorum velut consortes voluntarii, qui constituere lateque fundere grandi pecunia consociationes adnitantur: quibus adiuvantibus facile opifici liceat non modo commoda praesentia, sed etiam honestae quietis futurae fiduciam sibi labore quaerere: Tam multiplex tamque alacris industria quantum attulerit rebus communibus boni plus est cognitum, quam ut attineat dicere. Hinc iam bene de reliquo tempore sperandi auspicia sumimus, modo sociates istiusmodi constanter incrementa capiant, ac prudenti temperatione constituantur. Tuetur hos respublica civium coetus iure sociatos: ne trudat tamen sese in eorum intimam rationem ordinemque vitae; vitalis enim motus cietur ab interiore principio, ac facilime sane pulsu eliditur externo.

Est profecto temperatio ac disciplina prudens ad eam rem

15
MAII
1891.

*liberandi
sunt inter
se coeundo.*

*Inde lau-
dandi val-
de, qui ad
meliora o-
pifices re-
ducere co-
nantur,
quorum
scopus per-
salutaris;*

laudandi

a) *qui ver-
bo,*

b) *qui ope-
re,*

c) *qui zelo
apostolico,*

d) *qui pecu-
nia adla-
borant ad
hunc per-
optandum
finem.*

*Feliciora
tempora
haec colle-
gia, modo
crescant,
certe para-
bunt.*

*Reipublicæ
est sinere
ad haec cives
coire, eaque
sua libere
regere.*

^{3º} Tempe-
ratio autem
horum col-
legiorum
ad ipsa spe-
ctat.

et a variis
adjunctis
pendet.

Summa ad
sequentia
reducitur:

a) Ut sco-
pum prin-
cipalem ha-
beant per-
fectionem
pietatis ac
morum.

Hoc primo
quaesito, ce-
tera adji-
cientur.

Inde colan-
tur in illis
eruditio re-
ligiosa, cul-
tus Dei,
dierum fe-
storum, Ec-
clesiae, sa-
cramen-
torum.

necessaria ut consensus in agendo fiat conspiratioque volun-
tatum. Proinde si libera civibus coeundi facultas est, ut pro-
fecto est, ius quoque esse oportet eam libere optare discipli-
nam, easque leges quae maxime conducere ad id, quod pro-
positum est, iudicentur.

Eam, quae memorata est, temperationem disciplinamque
collegiorum qualem esse in partibus suis singulis oporteat,
decerni certis definitisque regulis non censemus posse, cum
id potius statuendum sit ex ingenio cuiusque gentis, ex pe-
riclitatione et usu, ex genere atque efficientia operum, ex
amplitudine commerciorum, aliisque rerum ac temporum
adiunctis, quae sunt prudenter ponderanda. Ad summam rem
quod spectat, haec tanqnam lex generalis ac perpetua san-
ciatur, ita constitui itaque gubernari opificum collegia opor-
tere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque
expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consi-
stitit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis,
animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum
vero est, ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad
caussam praecipuam spectari oportere: eaque potissimum
caussa disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim
degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in
quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum
praestarent. Ceterum quid propositi opifici rerum copiam so-
cietate quaesiisse, si ob inopiam cibi sui de salute pericli-
tetur anima? *Quid prodest homini, si mundum universum lu-
cretur, animae vero suae detrimentum patiatur* (¹)? Hanc qui-
dem docet Christus Dominus velut notam habendam, qua
ab ethnico distinguatur homo christianus: *Haec omnia gentes
inquirunt... quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et
haec omnia adiicientur vobis* (²). Sumptis igitur a Deo prin-
cipiis, plurimum eruditioni religiosae tribuatur loci, ut
sua singuli adversus Deum officia cognoscant: quid credere
oporteat, quid sperare atque agere salutis sempiternae caus-
sa, probe sciant: curaque praincipia adversus opinionum
errores variasque corruptelas muniantur. Ad Dei cultum
studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religio-

1. Matth., xvi; 26. — 2. Matth., vi, 32, 33.

nem dierum festorum colendam. Vereri diligereque communem omnium parentem Ecclesiam condiscat; itemque eius et obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.

15
MAI
1891.

Socialium legum posito in religione fundamento, primum est iter ad stabiendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur. Munia sodalitatum dispartienda sunt ad communes rationes accommodate, atque ita quidem ut consensum ne minuat dissimilitudo. Officia partiri intelligenter, perspicueque definiri, plurimum ob hanc caussam interest, ne cui fiat iniuria. Commune administretur integre, ut ex indigentia singulorum praefiniatur opitulandi modus: iura officiaque dominorum cum iuribus officiisque opificum apte convenient. Si qui ex alterutro ordine violatum se ulla re putarit, nihil optandum magis, quam adesse eiusdem corporis viros prudentes atque integros, quorum arbitrio litem dirimi leges ipsae sociales iubeant. Illud quoque magnopere providendum, ut copia operis nullo tempore deficiat opificem, utque vectigal suppeditet, unde necessitati singulorum subveniatur, nec solum in subitis ac fortuitis industriae casibus, sed etiam cum valetudo, aut senectus, aut infortunium quemquam oppressit.

His legibus, si modo voluntate accipientur, satis erit tenuiorum commodis ac saluti consultum; consociationes autem catholicorum non minimum ad prosperitatem momenti in civitate sunt habiturae. Ex eventis praeteritis non temere providemus futura. Truditur enim aetas aetate, sed rerum gestarum mirae sunt similitudines, quia reguntur providentia Dei, qui continuationem seriemque rerum ad eam caussam moderatur ac flectit, quam sibi in procreatione generis humani praestituit. — Christianis in prisca Ecclesiae adolescentis aetate probro datum accepimus, quod maxima pars stipe precaria aut opere faciendo vicitarent. Sed destituti ab opibus potentiaque, pervicere tamen ut gratiam sibi locupletium, ac patrocinium potentium adiungerent. Cernere licebat impigros, laboriosos, pacificos, iustitiae maxime-

b) *Quod ad caetera spectat, officia bene partienda; commune integrum administrandum; jura cuncta servanda,*

arbitratus integer ad dirimendas lites in ipso collegio formandus;

membbris copia operis procuranda, atque vectigal ad subveniendum necessitatibus.

40 *Fructum horum collegiorum reipublicæ maxime futurum historia docet.*

Sicut primi christiani, initio propter exiguitatem condicnis respecti, mox optimis opibus opinionem viceerunt,

que caritatis in exemplum retinentes. Ad eiusmodi vitae morumque spectaculum, evanuit omnis praeiudicata opinio, obtrectatio obmutuit malevalorum, atque inveteratae superstitionis commenta veritati christianaे paulatim cessere. —

De statu opificum certatur in praesens: quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate coniuncti ac prudentibus auctoribus usi, viam inierint eamdem, quam patres ac maiores singulari

*ita hodie-
dum opifices
christiani,
societate
coniuncti,
benevolentia
am civium
sibi conci-
liabunt,*

*aliique opi-
fices, vitio-
rum, pra-
vorumque
collegiorum
vinculis æ-
gre grava-
ti, christia-
nis sodali-
tis nomina
dabunt.*

cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantumvis magna in homine vis opinionum praeiudicatarum cupiditatemque sit, tamen, nisi sensum honesti prava voluntas obstupefecerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios ac modestos cognoverint, quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constituerit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despecta fide christiana, vel alienis a professione moribus vivant. Isti quidem se plerumque intelligunt falsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri fere pluris quam quantum pariant operando lucri: quibus autem sodalitatibus implicati sunt, in iis pro caritate atque amore intestinas discordias existere, petulantis atque incredulae paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenuato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare: nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat. Iamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expediendis difficultatibus, invitarint, si resipiscentes in fidem tutelamque suam acceperint.

Habetis, Venerabiles Fratres, quos et qua ratione elaborare in caussa perdifficili necesse sit. — Accingendum ad suas cuique partes, et maturrime quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae. Adhibeant legum institutorumque providentiam, qui gerunt respublicas: sua meminerint officia locupletes et domini:

PERORA-
TIO.

*Hanc viam
sine mora
ineant pote-
stas publi-
ca, ac ute-
que ordo,
morum
christiano-
rum impri-
mis instau-
rantes.*

enitatur ratione, quorum res agitur, proletarii : cumque religio, ut initio diximus, malum pellere funditus sola possit, illud reputent universi, in primis instaurari mores christianos oportere, sine quibus ea ipsa arma prudentiae, quae maxime putantur idonea, parum sunt ad salutem valitura. — Ad Ecclesiam quod spectat, desiderari operam suam nullo tempore nulloque modo sinet, tanto plus allatura adiumenti, quanto sibi maior in agendo libertas contigerit : idque nominatim intelligent, quorum munus est saluti publicae consulere. Intendant omnes animi industriaeque vires ministri sacrorum : vobisque, Venerabiles Fratres, auctoritate praeeuntibus et exemplo, sumpta ex Evangelio documenta vitae hominibus ex omni ordine inculcare ne desinant: omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se, et excitare in aliis, summis iuxta atque infimis, omnium dominam ac reginam virtutum, caritatem. Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis : cristianae caritatis intelligimus, quae totius Evangelii compendiaria lex est, quaeque semet ipsam pro aliorum commodis semper devovere parata, contra sæculi insolentiam atque immoderatum amorem sui certissima est homini antidotus : cuius virtutis partes ac lineamenta divina Paulus Apostolus iis verbis expressit : *Caritas patiens est, benigna est : non quaerit quae sua sunt : omnia suffert : omnia sustinet* (¹).

Divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 15 Maii, An. 1891,
Pontificatus Nostri Decimoquarto.

*15
MAII
1891.*

*Ecclesia
vero, quo
majore po-
tietur li-
bertate, eo
efficacius
adlabora-
bit.*

*Episcopi
ac clerus
utrumque
ordinem
Evangelii
præcepta
doceant,
præsertim
caritatem,
divinam
contra sæ-
culi malu-
antidotum.*

LEO PP. XIII.

^{1.} *I Cor.*, XIII, 4-7.

EPISTOLA

ad Franciscum Lagrange, Episcopum

Carnutensem.

DE URGENDO S. SEDIS IUDICIO IN

REBUS LOIGNY.

23
MAI
1891.

Pontifex
queritur de
scandalo
orto in pago
Loigny.

Recolit con-
tumacis fe-
minaæ Ma-
thildis
Marchat,
pseudo visi-
ones semel
atque ite-
rum dam-
natas fui-
se;

INTER graves ac multiplices Apostolici Nostri muneris curas et molestias quae in hac temporum acerbitate Nos undique premunt, quaedam nonnunquam adversa intercidunt quae licet in se parvipendenda, tamen haud leve Nobis afferunt fastidium, praesertim quum non ab hostibus, sed ab inobedientibus Ecclesiae filiis profiscantur. Id genus sunt quae in pago tuae dioecesis, vulgo *Loigny*, iampridem eveniunt opera cuiusdam Mathildis Marchat, quae alio quoque sibi divinitus imposito, ut ait, nomine gloriatur, eiusque fautorum, qui sub pietatis et zeli erga religionem et patriam fuco non modo ordinarii, verum etiam Nostræ supremæ auctoritati pertinaciter obsistere ausi sunt.

Enimvero quum mulier illa dictitaret frequentibus Christi Domini ac Deiparae Virginis apparitionibus frui, ac supernis communicationibus donari, sibique demandatum esse munus novum erigendi religiosum ordinem, decessor tuus, Venerabilis Frater, totum hoc negotium ad examen revocavit; et quum ei constitisset adsertas visiones ac revelationes omni fundamento destitui, in iisque desiderari characteristicas illas notas, quibus huiusmodi supernaturalia dona vera a falsis distinguuntur, plura iure meritoque decrevit atque sancivit ad earumdem evulgationem novaeque societatis erectionem praepediendam. — Huic iudicio mulier praedicta eiusque defensores haudquaquam acquiescentes, ad hanc Apostolicam Sedem appellarunt. Sed venerabilium Fratrum Nostrorum Cardinalium Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Consilium, cuius Praefecturam Nos ipsi gerimus, omnibus matura consideratione perpensis, Nobisque

probantibus, in fer. IV die 12 Decembris anno 1888 sententiam curiae Carnutensis confirmandam esse iudicavit; statuitque nemini licere auxilium et favorem praefatae mulieri praestare, eius praetensis revelationibus adhaerere easque propalare; et Ordinario iniunxit, ut communitatem ab illa institutam omnino dissolveret.

²³
MAI
1891.

Sperandum sane erat fore ut qui episcopali decreto stare noluerant, mandatis Nostris ea, qua catholicos decet, docilitate obsequerentur; sed spes haec Nostra in irritum cessit. Nec quidquam valuit palam Nostro nomine declarare, memoriam foeminam eiusque hypocrisis administros et auxiliares, quum in lugenda eorum obcaecatione permanerent, non Episcopi tantum, sed etiam S. Sedis iussa despicer. Nam ipsi novis in lucem editis libellis, quos notum est erroribus, mendaciis, calumniis, conviciis, ineptiis et deliramentis esse refertos, insolenti prorsus audacia debitam ecclesiasticae auctoritati obedientiam ac reverentiam detrectare et incautis, si fieri possit, ulti illudere prosecuti sunt. Et, quod magis magisque dolemus, inter huiusmodi rebelles non defuere ecclesiastici viri.

nihilominus ejusdem fautorum, quos inter ecclesiasticos virros, huic iudicio non paruisse,

Itaque novissimis discussis allegationibus, quae ad manus Nostras pervenerant, fer. IV die 11 Ian. 1890, tibi, Venerabilis Frater, ab eodem supremo tribunali commissum fuit, ut sub comminatione suspensionis a divinis, sacerdotibus omnibus sive tuae dioecesis, sive etiam extraneis prohiberes accedere ad domum sororum praetensae Congregationis, quoadusque eadem latis decisionibus non paruissent; sorores ipsas ad sacramentorum participationem admittere; relationem quamlibet sive personalem, sive epistolarem cum eisdem sovere. — Nosti insuper Nos nuperrime disposuisse, ut memorata censura, quae antea ferendae erat sententiae, ipso facto deinceps incurritur, eiusque relaxationem Nobis ipsis reservasse. Praeterea peculiari poena iamdiu unum ex rebellionis choriphaeis multavimus; et periodicum libellum, cui titulus — *Les Annales de Loigny* — atque opuscula — *La vérité sur les condamnations qui frappent Mathilde Marchat..... an. 1889*, et — *La question de Loigny au 28 Février an. 1890* — Necessité pour tous d'un appel à Sa

graviores inde censuras contra eos esse latas,

libellosque eorum in indicem inscripsi.

Sainteté Léon XIII — in indicem librorum prohibitorum inscripsimus ; quod decreto diei 18 Iulii praeteriti anni factum est.

*Dolet
vehementer
hæc omnia
scandalos
non finem
imposuisse.*

*Zelum
Antistitis
Carnutens-
sis laudat
atque sti-
mulat.*

Mirum sane cuique videbitur, imo ferme incredibile post tot huius S. Sedis decreta, iussiones ac declarationes, inveniri adhuc qui in tuenda caussa quae a Loigny nomen sumpsit, quaeque contemptu digna foret, nisi impietatem saperet, in bonorum offensionem cederet, et osoribus catholicae religionis eam irridendi ansam praeberet, se hallucinari patiantur. — Nos profecto haud latet quantopere tu, Venerabilis Frater, quemadmodum praelaudatus decessor tuus, adlaboraveris ad huiusmodi scandalum e medio tollendum; et quas clero populoque tuo die 16 Augusti praeteriti anni dedisti, litterae ad reluctantium contumaciam frangendam et fraudes detegendas, praeclarum exhibent pastoralis tuae sollicitudinis argumentum.

Dum igitur debitas tibi laudes tribuimus, opportunum duximus hanc nostram epistolam ad te scribere, ut in omni patientia et caritate eos ad resipiscendum impellere pergas. Interim caelestium munerum auspicem paternaequae Nostræ benevolentiae testem Apostolicam benedictionem, tibi, Venerabilis Frater, ac fidelibus tuae curae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Maii MDCCCXCI,
Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Carolum Chesnelong, senatorem
reipublicae Gallicae.

DE COMMENDANDA CATHOLICIS CONCORDIA.

QUAE Nobis maxime in optatis erant et apprime respondebant expectationi, quam Nobis fecerat fides ac pietas tua eorumque qui tecum con gressi sunt, ea libenter comperimus expressa litteris, quas tuo et totius conventus cui praefuisti nomine ad Nos dedisti. Ac sane nihil iucundius Nobis accidere poterat quam consensionem intelligere et commune studium vestrum in exequendis alacriter (nedum obsequiose excipiendis) documentis et hortationibus, quae ad tuendam catholicam veritatem, ad praecavenda impiorum molimina, ad curandam singulorum salutem, solidamque prosperitatem familiarum et gentium christiani nominis ex hac Apostolica Sede prodierunt. — At prae ceteris iucundissimum illud Nobis extitit quod agnoverimus vos etiam optime perspe xisse, quam necesse sit in praesentiarum ut catholici omnes consociatis animis viribusque collatis, quasi conferto agmine pro integritate fidei, pro religionis iuribus, pro libertate Ecclesiae strenue decent. Laetitiam porro Nostram cumulat initum a vobis propositum connitendi ut hic salutaris concordiae spiritus in universos cives vestros effundatur, atque ut omnibus persuasum sit amplitudinem, opes, et gloriam patriae vestrae in summum vocari discrimen si istic catholica religio defecerit. — Quare et nobiles animi sensus, quos prae vobis fertis, merita ornamus laude, et supplices a Deo petimus ut ope praesenti inceptis et conatibus vestris propitius adspiret. Huius autem divini favoris auspicem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, nobilis vir,

23
MAI 1891.

Pontifex
laudat sen-
sus nuper
cum eximio
senatore
congresso-
rum.


Gaudet
de unione
virium, ad
commune
contra Ec-
clesiae ho-
stes certu-
men.

Sperat in
omnes cives
hunc spiri-
tum mox
effusum iri.

omnibusque, qui tecum in catholicorum conventu istic acto
partem habuere, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Maii MDCCCXCI,
Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE FIDE CATHOLICA IN ITALIAE SCHOLIS
TUENDA.

IN hoc diurno crudelique bello quo conflictatur Ecclesia nulla fraus est, nulla ars nocendi, qua non utantur religionis hostes, ut omne in Italia restinguant catholicae veritatis lumen et cuncta fidei germina stirpitus ex animis Italorum divellant. Hanc tueri fidem quacumque valemus ratione et ope ad onus pertinet Apostolici ministerii Nostri, idque impensius curare Nos oportet in iuvenili aetate, quae maxime patet inimicorum insidiis. Nullum propterea quod praesto sit auxilium negligendum est Nobis in hac parte exequenda ministerii Nostri; imo excitanda esse censemus et inflamanda eorum studia quorum zelus et actuosa industria aliquas praebat opportunitates, quo cautius defensa sit iuvenum fides in tantum vocata discrimen. Atque eiusmodi quidem opportunitates praebere Nobis pia consociatio visa est, cuius constitutio decreta fuit in catholico Italorum conventu, qui superiore anno celebratus est Laude Pompeia. Nobilem finem quo haec consociatio spectat cum munus ab ea susceptum declarat, tum indita appellatio quae est «*Opus pro fidei conservatione in Italiae scholis*». Operis huius praestantia et utilitas, quam Nobis commendaverat multo cum ornamento laudis Venerabilis Frater Iacobus Maria Episcopus Brixensis, magis magisque Nobis probata fuit inspecta scriptione typis vulgata, qua tota rei gerendae ratio, operis directio, perfunctio munerum et praesidia quibus sustentari possit, accurate explicantur. Hoc opus itaque salutare iuvenibus, qui scientiarum et litterarum studiis vacant, agnoscimus, perquam accommodum temporum necessitati, et ad integratatem fidei in Italia tuendam scienter comparatum. — Quare illud plurimam mereri laudem censemus, ac dignum esse cui nomen dent et opem operamque conferant omnes quibus cordi est religio et fides,

²⁵
MAIUS
1891.


*In luctuoso
bello Ponti-
fex juvenili
aetati im-
pensius de-
clarat sub-
venien-
dum.*

*Egregie
laudat con-
sociationem
ad hunc
finem Lau-
de Pompeia
decretam.*

ac recta succrescentis in Italia sobolis institutio. Supplices
demum preces adhibemus Deo, ut conditores et socios
operis huius propitius et aequus respiciat, eique benedicens
prospera det incrementa ad animarum salutem et decus
Ecclesiae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die
xxv Maii MDCCCXCI, Pontificatus Nostri anno decimo
quarto.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.



ALLOCUTIO

ad S. R. E. Cardinales.

DE STATU ECCLESIAE PER ORBEM.

NIHL est opus ut apud vos pluribus explicemus quam misera quam luctuosa in praesens sit apud Italos atque hac ipsa in urbe Nostra religionis Ecclesiaeque conditio. Sunt enim res ipsae in luce et in oculis omnium positae, vobisque in primis explorate et cognitae. Id maxime oporteret, quotquot sunt rerum novarum auctores fautoresque videre aliquando atque intelligere, quem in locum, suorum cursu consiliorum, res italicas adduxerint, et quem habuerit exitum inita adversus Ecclesiam contentio. — Sane, calamitatum moles in dies crescit; discrimina, detrimenta civium eorumque ex omni genere labores; tum etiam exundans perditorum morum lues, gliscens audacia turbulentarum partium, motusque populares, interdum nec incruenti, tristis demum et formidolosa, qua anguntur animi, malorum quoque maiorum expectatio. Iidem profecto, si saperent, si germana patriam caritate diligenter, facile perspicerent supremum orbis dominatorem Deum per ipsa rerum experimenta omnes qui parent quique imperant admonere, ac iustas expetere poenas dissidiorum ac simultatum quae contra Christi Ecclesiam iamdiu exercentur.

Nec formidandi caussa minor, Venerabiles Fratres, si in reliquias Europae partes paulisper oculos coniiciamus. Ubi que fere effrenatas cupiditates videmus minacesque animorum motus, veluti promptos ac paratos ad incendia ignes. Posthabitis christiana sapientiae doctrinis, Ecclesiae virtute atque Dei ipsius auctoritate neglecta, humana societas magnopere laborat, maximarum perturbationum periculis quotidie obnoxia.

At vero Ecclesia Christi, adversis aequis ac secundis rebus divini auctoris confisa numine, iter suum constanti vestigio persequitur. Videlicet, quacumque datur aditus, eo divinae

JUNII
1891.

*Pontifex
describit
miserum
exitum con-
tentio-
nis
adversus
Ecclesiam
in Italiæ
initæ.*

*Nec melior
status re-
rum in ali-
is Europæ
partibus.*

*Ecclesia
tamen
Christi
miseri suo
beneficio
nulla ra-
tione deest.*

*Extra fines
Europæ ju-
cundior
prospectus.*

*In Africa
contra Ni-
gritarum
servitutem
strenue
agitur*

*In Japoni-
co imperio
hierarchia
catholica
instituitur.*

*In Brasi-
lica regione
spes melio-
rum tempo-
rum robo-
ratur.*

caritatis spiritu acta pervadit alacris, vel ut catholicam fidem provehat, vel ut humanae vitae incommodis solatia ac remedia afferat, ad cavenda, ad propulsanda pericula ubique gentium semper adiutrix. Munus quippe eius itemque et gloria haec est, saluti hominum omni beneficiorum genere perpetuo inservire: quod sane Nos ipsi pro viribus efficiendum nuper curavimus, cum, datis ad universae Ecclesiae Episcopos litteris, *de opificum conditione* egimus.

At si ex Europæ finibus et asperis rebus in alias orbis terras oculos ipsos convertamus, profecto caussae non desunt quae praesentem animi aegritudinem leniant bonamque felicium eventuum spem portendant.

Ad tollendam in Africis plagis Nigritarum servitutem Nos quidem misera eorum conditione permoti ultro curas et studia contulimus. In eiusmodi vero tam nobile tamque excellens caritatis opus, alacres, ut par erat, tum Principum tum populorum christianorum exarsere animi, pulcherrimum putantes ingenti miserrimaeque hominum multitudini opem afferre coniunctisque adlaborare viribus, ut a maximis vindicati iniuriis opportunum ipsi levamen divinaeque beneficia redemptionis experiantur. — Haud estis nescii, Venerabiles Fratres, quid hucusque eorum caussasit actum; in eamdemque caussam Nobis omnino propositum est, dum vita suppetet, nihil reliqui facere quod ad eorum allevandas aerumnas pertinere intellexerimus.

In Iaponico Imperio, Deo votis Nostris favente, Nobis datum est, ordinariorum Episcoporum hierarchiam ad catholicae religionis incrementa, quantum per tempora licuit, constituere, uti vos ex Apostolicis litteris, quas proxime daturi sumus, intelligetis. Haud sine caussa fore confidimus, ut in ea regione in qua olim et contra Christi fideles acerbe saevitum est, et plurium constantia Martyrum enituit, catholicae fidei seges efflorescat, ex eaque Iaponica gens uberes salutis fructus percipiatur.

De Brasilica regione, quam sollicitudine Nostra complectimur, illud timendum fuit, ne ex rerum publicarum conversione, quae proxime elapsis temporibus consecuta est, rationes catholicae Ecclesiae perturbarentur. Sed nunc

animo minus suspenso et anxio esse coepimus, cum quae-dam quae e re catholica sunt, publice decreta esse in ea regione noverimus. — Certum tamen Nobis est omni ope niti ut inceptis secunda incrementa respondeant; eamque in rem minime dubitamus tum sacrorum Antistites, tum fideles operam suam Nobiscum collatuos. Interea gratum est, vobis significare, novas quatuor episcopales sedes apud Brasilienses iam esse constitutas, quibus et alias in poste-rum adiiciendas, Deo propitio, curabimus.

Novas pariter episcopalnis ministerii sedes in Mexicana Republica excitare in animo est. Pro paterno Nostro in eam studio vehementer optamus, ut Mexicanii cives ex iis malis, quae impiorum foederum homines in eos, uti et in alios populos, invexere, sospites emergant, Deoque bene iuvante, ad pristinum catholicae fidei pietatisque splen-dorem assurgent.

Haec vobis, Venerabiles Fratres, quorum interest res Ecclesiae laetas adversasve cognoscere, perspecta et cognita esse voluimus.

Ceterum antequam ad novas Episcoporum cooptationes veniamus, adlecturi in amplissimum Ordinem vestrum sumus duos viros, quos ob egregia animi ingeniique orna-menta, in demandatis muneribus obeundis diligentiam et fidem, devinctamque Apostolicae Sedi voluntatem ac stu-dium honore collegii vestri dignos censuimus.

Ii autem sunt: ALOSIUS ROTELLI, Archiepiscopus titu-laris Pharsaliensis, ordinarius Noster et Apostolicae Sedis Nuntius apud Rempublicam Gallicam; ANTONIUS A PAULO GRUSCHA, Archiepiscopus Viennensis in Imperio Austriaco.

Quid vobis videtur?

Auctoritate itaque omnipotentis Dei, sanctorum Aposto-lorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

ALOISIUM ROTELLI

ANTONIUM A PAULO GRUSCHA

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis neces-sariis et opportunis. In Nomine Patris X et Filii X et Spiritus X Sancti. Amen.

JUNII
1891.

Mox Mexi-cana respu-blica novis sedibus epi-scopalibus fructur.

Duo novi cardinales creantur.

LITTERAE APOSTOLICAE
QUIBUS STATUTA SEU CONSTITUTIONES
APPROBANTUR FACULTATUM
THEOLOGIAE PHILOSOPHIAE AC IURIS
CANONICI CATHOLICAE UNIVERSITATIS
OTTAWENSIS IN CANADA.

*12
JUNII
1891.*

*Pontifex
recolit quæ
egerit quoad
universita-
tem ca-
tholicam
Ottawa
conditam.*

CUM Nobis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentibus potius nihil sit atque antiquius, quam ut catholica iuventus optimis informetur disciplinis, ad nobiliora religiosae in litteris ac scientiis institutionis lycea, quae et doctorum praestantia et auditorum frequentia enteant, cogitationes curasque Nostras intendere pro re ac tempore satagimus. Hac mente conlegium in praeclara Canadensis regionis urbe, cui vulgare nomen « Ottawa » iam inde ab anno 1848 fundatum, amplioribusque in dies continuo, nec intermissis unquam incrementis ornatum, ideoque anno 1866 a supremo legifero concilio Canadensis regionis nomine et iuribus universitatis civilis auctum, precibus suffragiisque annuentes Praepositi generalis Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae, cui idem conlegium concreditum est, et doctorum ipsius conlegii decurialium, nec non Venerabilis Fratris Archiepiscopi Ottawensis, per litteras Apostolicas, quae incipiunt « Apostolica Sedes » anno 1889 datas, dignitate ac iuribus catholicae universitatis decoravimus. Nonnulla insuper statuimus ad ipsius universitatis bonum perutilia, ac perpendentes ad universitatis prosperitatem ac decus plurimum interesse eam rectis aptisque legibus prudenter instrui, quibus eius regimini opportune consuleretur, iussimus ut illius universitatis statuta et leges Apostolicae huic Sedi primo quoque tempore exhiberentur, quo, iis mature examinatis, auctoritatis Nostrae robur adiiceremus. Mandato huic Nostro tum Venerabilis Frater Ottawensis Antistes, tum dilectus filius universitatis memoratae rector nuper obsecundantes, statuta

seu constitutiones universitatis generales et speciales, seu proprias facultatum philosophiae, theologiae ac iuris canonici Nobis exhibuere, enixe adprecantes ut ad examen illas revocare et Apostolica auctoritate confirmare dignaremur. Nos autem, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis propagandae fidei praepositis, postquam praevio maturo examine statuta et constitutiones praedictas de fratum eorumdem consilio opportune emendavimus, memoratis precibus annuendum existimavimus. Quare omnibus et singulis quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurserint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censemtes, catholicae universitatis studiorum civitatis Ottawensis statuta, seu constitutiones generales ac speciales philosophiae, theologiae et iuris canonici facultatum emendatas, iuxta exhibitum exemplar, cuius prima verba sunt « Universitati catholicae » postrema vero « Nihil... immutandum, aut tollendum inconsulta Sancta Sede », quod in tabulario secretariae Nostrae brevium custodiri mandavimus, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi definitive approbamus, sancimus, ratasque habemus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodo libet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attenari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 12 Iunii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

12
JUNII
1891.

*Traditas
sibi consti-
tutiones fa-
cultatis
philoso-
phiae, theo-
logiae et ju-
ris cano-
nici.*

*emendatas
auctoritate
apostolica,
confirmat.*

M. CARD. LEDOCHOWSKI.



LITTERAE APOSTOLICAE
QUIBUS HIERARCHIA EPISCOPALIS
IN IAPONIA CONSTITUITUR.

15
JUNII
1891.

Gaudet
Pontifex de
extensione
j. dei sibi
commissae

*in Japonico
Imperio.*

*Recoluntur
fausta ini-
tia veræ re-
ligionis in
hac regione*

NON maius Nobis neque optabilius solatium esse potest in hoc turbulentu et aerumnoso rerum humanarum cursu, quam ut catholicae religionis lumen apud dissitos populos ignarosque veritatis late propagari, iisque cum Christi doctrina et libertate, veram prosperitatem et salutem feliciter afferri videamus. In hoc praecipui momenti opus gratissimum est Nobis curas omnes et studia conferre, omnique ope adniti, ut praesto sint omnibus gentibus ad catholicam pietatem praesidia, ad christianae vitae disciplinam ministeria, eaque recte constituta suam vim et virtutem expromant, unde illud Nos assequi gaudemus, ut divinae serviamus gloriae, ac pro munere Nostro adiutores divinae erga homines bonitatis simus.

Hoc animo comparati magno sane cum gaudio conspicimus in Iaponico Imperio christiana instituta et sacra hoc tempore divini Numinis ope reviviscere, atque in hac extrema et illustri orientis solis regione liberum patere campum evangeliae veritatis praeconibus ad fidem catholicam serendam et propagandam, quam Apostolici viri saeculo 16, ad omnia discrimina impavidi, in eas oras intulere, suisque sudoribus et sanguine irrigarunt.

Quo enim tempore schismatum et haeresum labes plures Europae urbes infecerat, strenui catholicae veritatis ministri ignotas et inexploratas terras, quas paulo ante versis in altum proris fortes et experientes navitae patefecerant, adire non dubitarunt non aliud operae pretium petentes, quam ut Christi nomine adlato, ad ipsum in quo est vita, salus et resurrectio Nostra, nescias mentes et devia corda converterent. Hisce veritatis nuntiis faustus aditus in Iaponicam regionem patuit anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, cum Lusitani, quorum ingens animus et praestans virtus in maritimis expeditionibus merita ad

posteros gloria fulget, ad eas oras multis perfuncti periculis appulissent; anno deinde eiusdem saeculi nono et quadragesimo ad faustitatem Iaponiae gentis contigit, ut S. Franciscus Xaverius Apostolorum veterum virtutis heres, opere et sermone potens Iaponiorum insulas, ad monstrandum gentibus rectum salutis iter ingrederetur. Quo pollebat Dei spiritu magnus hic sospitator orientis, nullis parcens laboribus, innumerabilem hominum vim Christo lucrificat; eiusque vestigia illustres sodales eius deinde sequuti, in plures Imperii magni provincias successere, ea felicitate curarum, ut brevi tempore centena plura hominum millia baptimate sancto abluerint, qui ab inanum deorum cultu ad laeta Domini pascua caulasque transierunt. Horum porro aemulatores praeclari viri e Franciscali, e Dominicana familia, et Augustiniani sodales ex ordine Eremitarum extitere, qui in patentes Iaponiae partes effusi magno ubique ministerii sui fructu Christi regnum amplificarunt.

Auspiciatissimis hisce rei christianaee incrementis permotus S. Pius V successor Noster anno 1566 cum Patriarcha Aethiopiae egit, ut in Iaponiam ad catholici ministerii opera adiuvanda migraret, ac deinde episcopalem sedem, (quod Lusitaniae Regi Fidelissimo in votis erat) apostolica auctoritate constituit, eiusque procurationi Iaponicas insulas, quas hac occasione a dioecesi Macaonensi in cuius ditione erant seiunxit, addictas omnes creditasque voluit. Novo sacrorum Antistiti sedes in civitate de Funay attributa fuit, collatis eidem facultatibus et iuribus omnibus, quae ad rem christianam bene gerendam usui esse posse viderentur. Haudquaquam tenues aut ignobiles et obscuri fuere fructus, qui ex providis S. Pii V curis manarunt, ut successores eius latere possent: viderunt enim verae fidei lucem in Iaponia ab infimis primum hominibus, mox, Deo incrementum afferente, a nobilioribus receptam, tandem ad Principes, ad Dynastas, ad Reges ipsos pervenisse. Splendidum huius rei argumentum praebuere anno 1585 tres nobilissimi Principes, Rex scilicet Bungi, Rex Arimanorum et Princeps Omuranorum, qui ad Pontificem Maximum Gregorium XIII (is enim S. Pio V in Romana Sede successerat) lectissimo-

¹⁵
JUNII
1891.

sub S.
Francisco
Xaverio,

eiusque so-
dalibus,

atque aliis
verbi sacri
præconibus.

*Curante
S. Pio V,
prima sedes
episcopalis
in Japonia
creata, ma-
ximo rei
christianæ
incremento.*

*Legatio ad
Pontificem
Gregorium
XIII a tri-
bus Japo-
niæ regibus
missa.*

*a Sexto V
summo ho-
nore rece-
pta.*

*Duce Tai-
cosama ali-
isque prin-
cipibus.*

*sæva per-
secutio mes-
sem vastita-
ti devovit.*

*Extincta
procella,
quid ad
ruinas refi-
ciendas ege-
rint Roma-
ni Pontifi-
cis.*

rum virorum legationem, ad obsequium, fidem, pietatem suam erga Apostolicam Sedem declarandam mittere non dubitarunt ; quae legatio ex ultima Orientis regione profecta, nullis ante saeculis visa, genere suo amplissima, magnam in hac urbe apud omnes ordines admirationem habuit, celebritatem, gratulationem. Clarissimos viros summo loco natos Pontifex Maximus in amplissimo S. R. E. Cardinalium conventu, in magna Principum Antistitumque frequentia, summo omnium ordinum studio et celeberrimo comitatu, praecipua cum significatione benevolentiae et existimationis accepit, omni quo par erat officio prosecutus est : eosdemque Sextus V cui pontificatus maximus post Gregorium delatus est, summo in honore habuit, et in patriam urbis nobilitatem, qua erant fidei et generis claritate, cooptatos voluit.

Sed tantam hanc rei christianaæ in Iaponia prosperitatem, gravis admodum exceptit inseguitis temporibus et foeda tempestas, Taicosama aliisque deinceps Principibus imperantibus catholicae religioni infensis, et ab ea humilitate longe abhorrentibus, ex qua non exigua hoc aevo Iaponico Imperio gloria redundat.

Eius enim acerbitate temporis non in externos solum sacerdotes et religiosos viros, sed in ipsos Iaponios cives catholicae fidei excindendæ caussa, usque adeo saevitum est, ut fideles turmatim carnificibus obiicerentur : at cruciatus, caedes, terrores non ad labefactandam eorum constantiam, sed ad illustrandam martyrii palma ipsorum virtutem valuere. Tandem fidelibus qui cladi superfuerant tum civibus tum exteris e Iaponia eiectis exturbatis, publicoque edicto proposito ne cui catholicam religionem exercere ius fasque esset, quantum christiani nominis in ea regione erat, deletum penitus et extinctum visum est.

Verumtamen cum plures post annos adversorum temporum flamma remisisset, nihil antiquius fuitdecessoribus Nostris, quam pro suo munere operam dare collapsis in Iaponia religionis rebus restituendis et evangelicis operariis excitandis ad capessendum Apostolicum munus et Christi militum qui mactati fuerant copias redintegrans

das. In hac re enituit in primis Urbani VIII magnitudo animi: is enim non modo quae a decessoribus suis Gregorio XIII, Clemente VIII et Paulo V constituta fuerant in usum revocavit, sed providentiae suae curas latius etiam manare voluit. Studio eius obsecutum sacrum Consilium fidei propagandae, a primoribus coepti sui ministerii annis, reparandis in Iaponia religionis detrimentis suam opem conferendam censuit, atque ex Apostolica auctoritate decreta edidit, quae ad perfectam voluntatem et animorum concordiam inter sacrarum expeditionum viros statuendam tuendamque, ad seminarium Iaponiorum in urbe Manila situm in suo statu et vestigio conservandum, ad novum Episcopum Iaponiae fidelibus praeficiendum, pertinebant. Nec porro in sequentibus temporibus destitit vicariis Apostolicis et sacrorum administris finitimarum Iaponiae regionum ad ministerium inter Iaponios aggrediendum stimulos admovere: sed conantibus ab incoepio absistere necesse fuit, iis impedimentis et difficultatibus oblatis, quae nullum eorum operae locum potestatemque relinquerent. Interea obsepta licet Christi religioni omnis via esset, effusus tamen a veteribus christianis sanguis effecerat, ut plurium Christianorum vigeret in Iaponia seges, quippe fides catholica olim publice consita, deinde exagitata et electa, pluribus in familiis, quae eam studiose sovebant, privatim diuque latuit occulta. Non semel enim, non superiore modo sed hoc ipso ineunte saeculo ad divinae providentiae gloriam compertum fuit, non exiguum fidelium numerum in Iaponiae vicis praesertim et oppidis versari, qui traditam a veteribus Evangelii praeconibus fidei doctrinam religiose apud se retinerent, et vero Deo cultum ex catholica disciplina persolverent.

Novissimis autem hisce temporibus divinae clementiae placuit fauste illud et feliciter evenire, ut catholicis ex Europa advenis veterum Iaponiae fidelium ex insperato occurreret obvia progenies, et religio catholica in pristinas sedes aperta semita remearet. Expeditiones quippe, quas Gallicum Imperium nostrorum memoria temporum in Iaponiam destinavit, laetam opportunitatem et facultatem

JUNII
1891.

*auxiliante
consilio fi-
dei propa-
gandæ.*

*donec novæ
orientur
difficul-
tates.*

*Semen ta-
men fidei
non omni-
no sterile
remansit,
occultos ju-
giter fæcles
germinans.*

*Hoc saeculo
rediviva
religio ca-
tholica in
Japonia.*

praebuere Evangelii nunciis, ut in Legatorum qui ad publicas pactiones ineundas missi fuerant clientela et fide, regionem ipsam veterum sodalium vestigiis impressam attingerent. Rerum quidem initia ipsis plena negotii et aspera difficultatibus extitere, sed haec tanti non fuerunt apud Decessorem Nostrum Gregorium XVI, ut eum a vicariatu Apostolico ex sententia sacri Consilii fidei propagandae apud Iaponios constituendo deterrerent. Haec vicaria procuratio, simulque episcopalis dignitas Augustino Forcade sacerdoti e seminario Parisiensi ab exteris expeditionibus anno 1846 demandata fuit, eique munus datum, ut una cum adiutoribus suis non modo in Iaponia insulisque conterminis, sed etiam in Liou-Kou (id insulae nomen) rem christianam administraret. Plures obstitere caussae quominus ipse delato munere fungi posset, sed collegae eius seminarii Parisiensis sacerdotes propositam suae virtuti occasionem alacriter arripuere, atque in hac uti in aliis expeditionibus ita plures annos versati sunt, ut praeclara prorsus ediderint suae pietatis et constantiae magnis in laboribus argumenta. Praecipue vero divinae benignitatis gratia effulsit in illustri alumno seminarii Parisiensis presbytero Girard, qui stabili sede inter Iaponios posita, iis ad Christum adiungendis superiorum omnium primus feliciter adlaborare potuit, cuius rei caussa ab Apostolica hac Sede pro-vicarii nomen et potestatem accepit. Faustis ille quidem, tum sibi tum Iaponiae genti, Iaponicum solum attigit auspicis; namque ut olim S. Franciscus Xaverius die receptae in caelum Deiparae sacro, sic ipse Iaponem ingressus est anno huius saeculi quarto et quinquagesimo, quo immaculati Deiparae conceptus gloria supremo magistero decessoris Nostri Pii IX consecrata et catholico orbi promulgata, universi christiani populi animos in unius fidei pietate et obsequio coniunxit. Nec longe ab eo tempore, quo ipse in Iaponia constitit, ritus et sacra catholicae religionis in sedibus legationis Gallicae obire publice coepit: deinde in urbe Yokohama primum Deo vero templum, quod Iaponiae pietati gratissimum accidit, dedicatum est, tribus poene saeculis elapsis ex quo catholica religio e Iaponia exuiare

*Gregorius
XVI Vica-
riatum A-
postolicum
ibidem cre-
at,*

*cui praefi-
citur Au-
gustinus
Forcad.*

*Inter mis-
sionarios
Seminarii
Parisiensis
zeo eminent
presbyter
Girard.*

iussa fuerat, nec multo post alterum in civitate Nagasaki honori sex et viginti martyrum Iaponensium excitatum est, quibus Decessor Noster Pius IX sanctorum caelitum honores decreverat. Qua sunt Iaponii naturae indole ad honestatem et humanitatem in primis propensa, nequam inertert et segnes ad Christi religionem suscipiendam se praebuere, et confestim e fertili campo uberrima messis emicuit cathecumenorum ad decem millia, qui sese instituendos in catholicæ doctrina obtulere, ut deinde salutari lavacro expiarentur. Quamquam autem hoc ipso tempore antiquus humani generis hostis novas irarum faces in catholicum nomen incendere aggressus esset, et gravia pericula viderentur imminere, brevi tamen propitia divini numinis ope, hostilis resedit furor, ac tranquillitate redditæ, fidei germina quae diu in Iaponia latuerant, Evangelii ministris illic versantibus palam se prodiderunt. Veterum enim fidelium posteris fidenter in lucem publicam prodeuntibus, plus decem millia hominum reperta sunt, in quos catholicæ fidei hereditas a patribus integra incorrupta manaverat. Scilicet divina providentia servaverat prisca renascenti in Iaponia Ecclesiae fundamenta, super quae ipsa iterum aedificata consurgeret, servaverat decus, ut novi fideles non veluti hospites et advenae, sed cives et domestici veterum Iaponiae martyrum in unam cum ipsis compagem coalescerent.

Cum haec ita se haberent, de sententia Consilii Nostri fidei propagandæ anno huius saeculi sexagesimo sexto, novus Iaponiae Vicarius Bernardus Petitjean, idemque Episcopus titularis Myriophytensis auctoritate Apostolica renunciatus est, qui magna cum sollicitudine rei christianæ ordinandæ animum et vires intendit. Decem exinde post annos vicaria procuratio bifariam divisa et distributa fuit. Iaponia scilicet septentrionali ab australi seiuncta, ac in utriusque regionis partes Apostolicis viris confluentibus plurima ubique magisteria ad catholicam institutionem tradendam confestim Iaponiorum utilitati patuerunt. Tres autem ante annos novis praesidiis rei sacrae administrationem Nos instrui opportere intelligentes, novum vica-

*15
JUNII
1891.*

*Multi ca-
tholicae re-
ligioni no-
men dant,*

*invito sa-
luti hoste;*

*novi fideles
pristinis
conjuncti
in millia
crescunt.*

*Novus vi-
carius Ja-
poniae, Ber-
nardus Pe-
titjean, E-
piscopus
Myriophy-
tensis.*

*Vicariatus
in quatuor
crescunt.*

riatum in ipso imperii gremio, centralem appellantes constituimus; hoc autem anno vicariatum alterum excitavimus in ea Iaponiae plaga, quae propius septentriones spectat.

*Litteræ
Pontificis
ad Impera-
torem, ab
Imperatore
ad Pontifi-
cem missæ.*

Cum vero postremis hisce temporibus humanitate et aequitate Iaponici Imperii erga catholicae veritatis magistros, satis prospero res christiana cursu frueretur, haud quaquam praetermittendum duximus, quin litteris nostris supremo Imperanti grati animi sensus ederemus, significacione adiecta, quantum propensae eiusdem in christifideles voluntati et constantiae confidamus. His litteris datis plenum humanitatis et officii responsum a Maiestate eius accepimus per virum spectatissimum legationis nomine in Urbem ad Nos missum, cum solemnia anni quinquagesimi a sacerdotali Nostra consecratione ageremus.

*Tempus
advenit in-
stituendæ
hierarchiæ.*

Nunc itaque religionis in Iaponico Imperio rationibus ubiores Nostræ providentiae curas feliciter postulantibus, iustisque caussis animum nostrum ad optimam spem erigentibus, maturum tempus adesse arbitramur, quo hierarchicam rei sacrae administrationem ad canonicarum legum præscripta in eodem Imperio constituamus, eaque constituenda efficiamus, ut praesidia omnia et beneficia e catholica religione promanantia, abunde et opportune a Iaponiis fidelibus, uti cuique opus et studium fuerit, percipientur.

*Quod su-
prema apo-
stolica au-
ctoritate
completur.*

Quamobrem rogatis, uti par erat, VV. FF. Nostrorum S. E. R. Cardinalium e sacro Consilio fidei propagandæ sententiis, fusis ad omnipotentem Deum precibus, implorataque ope Deiparae Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Francisci Xaverii, qui ministerium veritatis et salutis in Iaponia gessit, nec non et inclitorum martyrum, quorum olim triumphali sanguine Iaponicum solum perfusum est, motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis plenitudine, ad maiorem divinae maiestatis gloriam fideique catholicae incrementum, his litteris nostris episcopalem hierarchiam in Iaponico imperio excitamus et constitui-mus, atque illustrem urbem Tokio, quae Imperii caput et

Serenissimi Imperatoris sedes est, ad metropolitanae seu archiepiscopalnis sedis dignitatem evehimus, ditioni eius attribuentes, ad septentriones totum eum tractum qui provinciarum Itchigo, Iwatshiro, Iwaki, fines australes attingit, ad austrum totam plagam quae integras provincias, Ietchidjen, Mino et Owari complectens, usque ad lacum Biwa patet, ad ortum et occasum regionem totam utrimque patentem usque ad oras quae mari alluuntur.

Huic autem metropolitanae ecclesiae tres episcopales seu suffraganeas sedes adiicimus, quarum alteram in urbe Nagasaki Iaponensium martyrum nobilitata trophyaeis, alteram in civitate Osaka, tertiam in urbe Hakodate erigimus et constituimus. — Nagasakiensis sedes Iaponiae regionem, quae magis in austrum vergit complectetur, insulas scilicet Kiou-Chiou, Hirado, Goto, Tsuchima, Lioukou, nec non minores alias, quas circumfusas pelagus ambit.

Osakensis sedes centralem Iaponiae partem obtinebit, nempe totum eum tractum, qui a lacu Biwa et a finibus provinciarum Imperii Ietchidyen, Mino et Owari ad occidentales usque oras magnae insulae de Nippon pertinet, adiecta insula Chicocou, aliisque obiacentibus, quae sub potestate magistratum provinciarum, quas supra diximus, continentur.

Hakodatensis tandem dioecesis regionem totam habebit, quae proprius septentriones subit, scilicet ad boream totum territorium Iezo et insulas Kouriles complectetur, et ad austrum integras provincias Itchigo, Iwatshiro, Iwaki, quas supra memoravimus.

Quo vero sedibus quas constituimus de idoneis pastoribus provideamus, Vicarios Apostolicos qui antehac suas curas catholicae religioni in Iaponia provehendae sedulo contulere, his nostris litteris Ordinariorum Episcoporum iure ac nomine insignimus, scilicet venerabiles fratres Petrum Osouf ab titulari ecclesia Arsinoite ad metropolitanam sedem Tokiensem, Iulium Alfonsum Cousin a titulari ecclesia Acmoniensi ad sedem episcopalem Nagasakiensem, Felicem Midon a titulari ecclesia Caesaropolitana ad episcopalem sedem Osakensem, demum Alexandrum Berlioz a

*15
JUNII
1891.*

*Sedes me-
tropolitana
Tokio, cu-
jus fines de-
scribuntur.*

*Suffraga-
neæ sedes
tres : Na-
gasaki, O-
saka, Hako-
date, qua-
rum pari-
ter descri-
buntur fi-
nes.*

titulari ecclesia Calyndensi ad episcopalem sedem Hacodatensem transferimus et promovemus.

*Quid mun
eris Anti
stitibus in
cumbat.*

Archiepiscopi autem et Episcoporum munus erit coniunctis animis et studiis rite ordinandis ecclesiae rebus et Christi Domini regno amplificando operam navare, itemque rectae rerum sacrarum administrationi accurate consulere. Nobis autem nihil unquam antiquius futurum, quam auctoritate, consilio, ope Nostra iisdem praesto esse in omnibus, quae ad divini nominis gloriam et animarum salutem pertinere intellexerimus.

*Quid jure
ab aucto
ritate publica
speretur.*

Cum porro Iaponici imperii studium luculenter eniteat in iis peragendis, quae ad utilitatem, prosperitatem, decus Iaponici nominis potissimum spectant, nihil dubitamus auctoritate publica cautum fore, ut novis pastoribus plena ea libertas ministerii constet, cuius ope non modo christiana sapientia, sed verae etiam humanitatis laus in populos propagatur. Annuat dives in misericordia Deus, qui facit mirabilia magna solus, ut suae bonitatis divitiis in unius fidei confessione et in catholicae Ecclesiae gremio Iaponiae cives universi late perfruantur.

*Præsen
tium aucto
ritas fir
matur.*

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostræ, alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtainere ac inviolabiliter observari debere.

Non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedium existentium olim in Iapone et missionum ac vicariatum Apostolicorum ibi constitutorum, et quarumcumque ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate corroboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis

auctoritate, scienter aut ignoranter, contigerit attentari.
Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostendo haberetur.

JUN¹⁵
I 891.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 15 Iunii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

M. Card. LEDOCHOWSKI.



LITTERAE APOSTOLICAE
DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA IN
MEXICO ORDINANDA.

*IX Kal.
JULII
1891.*

*Pontificis
cum curæ
est invigilare, ut di-
oeceses juxta
amplitudinem
gregum men-
surentur.*

*Crescente
in Mexico
numero
fidelium,
sedes episco-
pales mul-
tiplicandæ
visæ sunt.*

*Quinque
novæ sedes
jam erectæ;*

ILLUD in primis omni studio curare et satagere debent Romani Pontifices, quibus supremus animarum pastor gregem suum gubernandum commisit, ut ei tuta praesto sint ovilia, vigiles ac solliciti praesint pastores, qui gregem ipsum ad salubria pascua adducant et a periculis defendant, nullumque ipsi desit subsidium per quod ad caelestem patriam facilius possit pervenire. Eapropter praedecessores Nostri vel nimis amplas dioeceses circumscribi, vel novas sedes erigi sedulo curarunt prout animarum saluti conspiciebant salubrius expedire.

Sane crescens quotidie, favente Deo, in Mexicanis regionibus catholicae religionis augmentum exigit, ut ad eas pastoralis Nostri muneric curas sedulo dirigamus et spirituali illarum christifidelium animarum bono et utilitati per novas episcopalium sedium erectiones et aptiorem ecclesiasticae Hierarchiae illic constitutionem salubrius prospiciamus. Nonnullae siquidem illic dioeceses tam late protenduntur et adeo inter se dissita continent loca, ut non raro illarum Antistites, sive ob ipsorum locorum distantiam, sive etiam ob aeris insalubritatem, a commissis sibi ovibus invisendis prohibeantur, quod quidem dominico gregi non levi est discriminis et detimento. Hisce caussis motus fel. rec. Pius Papa Nonus praedecessor Noster anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo tertio tres ex archiepiscopatu Mexicano novas efformavit provincias, et paulo post vicariatum Tamaulipanum ad cathedralis ecclesiae honorem evexit; et Nos ipsi vel a Nostri Pontificatus exordio, ad quem per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam fuimus assumti, binas alias in eadem Mexicana ditione episcopales sedes, alteram nempe de Tabasco alteram de Colima respective nuncupatas instituimus. Ast neque per

huiusmodi novarum dioecesium erectionem satis abunde illorum christifidelium spirituali bono ac etiam commodi tati consultum fuisse experientia demonstrat; difficillima siquidem inter oves et pastores adhuc existunt commercia, et plerique ex iisdem pastoribus quominus universum sibi creditum gregem adire possint impediuntur. Venerabilium igitur Fratrum Nostrorum Mexicanae ditionis Antistitum, cleri plurimorumque catholicorum inclytæ eiusdem ditionis illustrium virorum votis, quibus ipsi a Nobis et Sancta Apostolica hac Sede flagitabant ut episcopalium sedium illic numerus angeretur, et facilitori illorum fidelium cum propriis Episcopis communicationi consuleretur, obsecundare non modo opportunum quin imo necessarium in Domino iudicavimus. Ad hunc profecto effectum eosdem Mexicanos Antistites rogatos voluimus, ut suam aperirent mentem novamque proponerent provinciarum divisionem, quae novis instituendis sedibus utilior videretur. Quo quidem a memoratis Praesulibus libenter praestito, Nos eorumdem sententiae accedentes, accitis primo in tanti momenti re Venerabilibus etiam Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus ecclesiasticis negotiis propositis, eisque consilium probantibus, propositam novae Hierarchiae constitutionem ulterius non esse differendam censuimus.

Praefatorum itaque Mexicanæ ditionis Antistitum et cuiuslibet eorum consensum ad effectum infrascriptum praestitum, ratum acceptumque habentes et, quatenus opus sit, omnium et singulorum quorumcumque in id interesse habentium seu habere putantium vel praesumentium consensui huiusmodi haud praestito suprema Nostra auctoritate supplentes, cunctisque quae in huiusmodi negotiis inspicienda sunt matura deliberatione examinatis atque perpensis, nec non omnes et singulos quibus praesentes litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore centes, motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine, novam in Mexi-

*IX Kal.
JULII
1891.*

*sed non suf-
ficiunt.*

*Omnibus
rite pre-
missis, de
consulto ac
consensu
eorum ad
quos spe-
ctat,*

*Pontifex
erigit*

cana ditione ecclesiasticam Hierarchiam sex, ut infra,
 archiepiscopalibus seu metropolitanis, ac viginti et una
<sup>novam hie-
rarchiam.</sup> episcopalibus sedibus, nec non vicariatu inferioris Califor-
 niae constitutam fore decernimus. Episcopales idcirco
 sedes de Antequera (seu Oaxaca), quae Mexicanae, ac de
 Linares et de Durango, quae de Guadalaxara respective
 metropolitanarum ecclesiarum suffraganeae ad praesens
 existunt, illarumque respective cathedras, episcopalia no-
 mina, essentiam, naturam et statum cathedralitatis ad effe-
 ctum infrascriptae novae erectionis Apostolica auctoritate
 perpetuo suppressimus et extinguimus, easque a qualibet
 illorum Archiepiscoporum metropolitica iurisdictione et
 quavis alia superioritate eximimus et liberamus, illisque
 sic suppressis, extinctis, exemptis et liberatis easdem de
 Antequera, de Linares et de Durango ecclesias ad eminen-
 tiorem archiepiscopali et metropolitanarum ecclesiarum
 gradum et fastigium pari auctoritate perpetuo item evehim-
 us atque extollimus, ita ut ipsae ex nunc deinceps archie-
 piscopales et metropolitanae ecclesiae nuncupentur, atque
 tales reapse habeantur et sint, ac proinde omnibus et sin-
 gulis iuribus, iurisdictionibus, honoribus, gratiis, favoribus,
 indultis, praerogativis, praeeminentiis ac privilegiis cete-
 risque, quibus aliae tres in eadem Mexicana ditione metro-
 politanae ecclesiae de iure communi fruuntur, potiuntur et
 gaudent, itidem et absque ulla prorsus differentia utantur,
 fruantur, potiantur et gaudeant. Ut vero Mexicanus Nobis
 carissimus populus faciliorem cum propriis pastoribus
 habeat communicationem et ab iisdem, quod maxime
 Nobis cordi est, per semitas iustitiae ad caelestia pascua
 dirigatur, quinque alias, praeter iam existentes, episcopales
 sedes, alteram nempe a Chihuahua, alteram a Saltillo,
 alteram a Tepic, alteram a Cuernavaca ac reliquam a
 Tehuantepec respective nuncupandas, Apostolica auctori-
 tate praedicta perpetuo similiter erigimus ac instituimus
 Ab Episcopatu propterea de Durango mox in archiepisco-
 patum, ut praefertur, erecto, totum territorium status civilis
 de Chihuahua nuncupati perpetuo dismembramus, illudque
 noviter erectae episcopali sedi de Chihuahua pro eius dioe-

*Sedes de
 Antequera,
 de Linares
 et de Dran-
 go ad archi-
 episcopalem
 ac metro-
 politanum
 gradum
 provehun-
 tur.*

*In Mexi-
 cana ditio-
 ne quinque
 novae sedes
 episcopales
 creantur :
 a Chihu-
 hua, a Sal-
 tillo, a Te-
 pic, a Cuer-
 navaca, a
 Tehuante-
 pec, qua-
 rum fines
 describun-
 tur, et ca-
 thedræ con-
 duntur.*

cesi adiudicamus. Ipsa proinde dioecesis de Chihuahua memorato constabit territorio et infrascriptis inibi existentibus paroeciis — S. Ieronimo, S. Andres, Taraumar, Batorillas, S. Borja, Chihuahua, Casas Grandes, Carichic, Chinipas, Cosihuiriachic, Villa de la Concepcion, S. Cruz de Rosales, S. Cruz de Herrera, S. Eulalia, Colonia de Guadalupe, Guadalupe y Calvo, Guazapares, Huejuquilla, Huejotitan, S. Isabel, Janos, JESUS Maria, Julimes, Loreto, S. Lorenzo, Morelos, Moris, Nonoaba, Norogachic, Paso del Norte, Presidio del Norte, S. Pablo, Parral, Pilar de Conchos, Rio flido, S. Rosalia, Satevó, Sisoguichic, Temechic, Temosachic, Temochic, Tervachic, S. Tomas, Urnachic, Vallez, Valle de S. Bartolo, et Valle de S. Buenaventura — : in civitate de Chihuahua ipsius territorii principe sedem et cathedram episcopales fundamus, ecclesiamque Ssmae Crucis dicatam ad cathedralis ecclesiae gradum et decorem etiam perpetuo evehimus. A memorato insuper episcopatu de Durango et ab alio de Linares, in archiepiscopatus nuper etiam ut praefertur erectis, pro nova dioecesi de Saltillo constituenda distrahimus territorium status civilis de Coahuila nuncupati illudque cum paroeciis Santiago et S. Esteban in civitate capitali vulgo Saltillo, Arteaga, Ramos Arispe, Candela, Monclova, San Buenaventura, Nadadores, Cuatro Cienegas, Santa Rosa, San Fernando, Nava, Piedras Negras, Rio Grande et Progreso, ad Archiepiscopatum de Linares, aliisque, nempe Alamo de Parras, Matamoros de la Laguna, et Parras, ad Archiepiscopatum de Durango ad praesens pertinentibus paroeciis eidem novae episcopali sedi de Saltillo attribuimus, simulque ipsius cathedralis in civitate Saltillo constituimus atque ecclesiam divo Iacobo Apostolo dicatam in cathedralis erigimus. Ad novam vero aliam episcopalem sedem de Tepic quod attinet, sic eam volumus constitutam: ipsa siquidem amplectetur territorium ipsius nominis quod quinque districtibus constat, eique insuper erit addendus alter districtus status civilis de Falisco, Mascota nuncupatus, qui ad Archiepiscopatum de Guadalaxara in praesens pertinet, quemque propterea ab eo dismembratum et distractum declaramus illique infrascri-

*IX Kal.
JULII
1891.*

ptae adiudicentur paroeciae, altera videlicet Acaponeta, altera Ahuacatlan, altera Compostella, altera Fatlan, altera Fala, altera Falisco, altera Rosa Morada, altera San Blas, altera Santa Maria del Oro, altera Santiago, altera Tepic, altera Fuxpon, altera Guachinango, altera Mascota, altera San Sebastiano ac reliqua Talpa respective nuncupatae, nec non infrascriptae assignentur vicariae, videlicet Huagigori, Laquavillas y S. José, Cacaluta, San Luis, Falcotan, San Leone, Zopilote, Santa Cruz y Nayarit, Sontispac, Antequillo, Cuale, Los Reyes, et Bramador : in civitate dicti territorii principe, quam Tepic appellant, novi huius episcopatus sedes et cathedra sit constituta, eaque sit ecclesia cathedralis, quae Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae ad praesens dicata reperitur. Alterius vero episcopalibus ecclesiae de Cuernavaca sedem et cathedram episcopales in civitate, cui idem titulus de Cuernavaca, constituimus et ecclesiam eidem Beatae Mariae Virgini ad caelum Assumptae pariter sacram cathedralem declaramus. Huic porro sedi episcopali de Cuernavaca pro sua dioecesi assignamus statum de Morelos nuncupatum, qui sex habet districtus quos ab Archiepiscopatu Mexicano ad huiusmodi effectum seiungimus, nempe paroecias Cuantla Morelos, Yecapixtla, Yantepec, Flatizapan, Flalquitenango, Yojutla, Tlayacapan, Totolapan, Tlalnepantla, Cuantenca, Atlatlahuican, Oaxtepec, Humiltepec, Archichipo, Tetela del Volcan, Jonatepec, Tepalcingo, Atlacahualoya, Jantetelco, Facualpan, Amilpas Oacituco, Cuernavaca, Oxochitepec, Amatepec cum suis tribus vicariis, Tetecula, Miacatlan et Coatlan, Tintepec cum sua vicaria, Tejalpan et Tepoztlan, quibus alia paroecia Amacuzac et pars paroeciae de Jatla, nec non vicaria Tlalquitenango erunt adiungendae. Reliqua demum nova dioecesis de Tehuantepec amplectetur duos districtus de Tehuantepec et Juchitan, nec non partem districtus de Choapan ad statum civilem de Oaxaca pertinentes. Ac hoc constabit et districtu de Minatillan et Acoyucan, et maiore parte districtus de Cosamaloapan ad statum civilem de Vera Cruce pertinentibus. Ipsam idcirco dioecesim constituent paroeciae Chacaltianguis, Tesechoa-

can, Paso de S. Juan, Achayucan et Chinameca (cui oppidula Jaltipan ac Minatitlan addicta fuere) ad episcopatum de Vera Cruce modo pertinentes, quaeque ab eodem episcopatu eximentur a naturali limite fluminum, queis nomen Papolopan et S. Juan, nec non aliae paroeciae Tehuantepec, S. Maria, Chimalapa, Niltepec, S. Mateo del Mar, Petapa, Guichicovi, San Jeronimo, Juchitan, Huamelula, Jalapa, Tequisistlan, Acatlan, Puxmetacan Yahuive, Lalana, Playa Vincente et Otatilan, quas ab Episcopatu de Oaxaca sive de Antequera seiungimus et seiunctas declaramus. Huius novae sedis episcopalem cathedralm in civitate Tehuantepec fundamus prout etiam ecclesiam quondam Sancto Dominico, modo vero Beatae Mariae Virgini Immaculatae dicatam, ad cathedralitatis honorem et dignitatem perpetuo evehimus. Omnes igitur et singulos fideles sic ut praefertur constitutas novas dioeceses incolentes (iis solummodo exceptis, si qui sint, qui singulari gaudeant exemptione) una cum suis circumsitis locis, piis institutis, adnexis rebus, terris, oppidis unaque cum iuribus tum realibus tum personalibus tum mixtis suae cuique noviter erectae dioecesi addicimus et perpetuo subiicimus et addictos et subiectos fore decernimus, regendos et gubernandos ab eorum Ordinario Antistite, cuius dictis prono animo erunt obsequentes. Simili modo iubemus quod monumenta, iura et documenta omnia quae populos incorporandos novis dioecesibus respiciunt, quaeque in praesenti in unaquaque eorumdem dioecesi asservantur, inde sint extracta, et quamprimum praefecto tabularii novae erectae dioecesis tradantur ibi pro opportunitate custodienda. Novis igitur quinque supradictis dioecesibus ita erectis et constitutis, antiquas sive metropolitanas sive episcopales sedes infrascriptam subire decernimus immutationem : a Mexicano archiepiscopatu scilicet paroecia de Tasco in civili statu de Guerrero sita eximatur, eaque dioecesi de Chilapa incorporetur ; ex dicto insuper archiepiscopatu paroeciae de Jochimilio aliaque de Tula sita in statu civili de Hidalgo distrahantur et primo dicta episcopatu de Puebla, secundo dicta vero paroecia episcopatu de Tulancingo respective adnectantur ;

*IX Kal.
JULII
1891.*

*Antiqua-
rum sedium
mutationes
diffiniun-
tur.*

dismembrentur pariter ab episcopatu de Puebla paroeciae de Coycoyan et de Mixtepec sitae in districtu de Justlahuaca (civili statu de Oaxaca) nec non duae foraniae de Tehuacan et Coxcatlan sitae in statu civili de Puebla, eaeque incorporentur novo archiepiscopatui de Antequera ; item eidem archiepiscopatui adnectatur oppidum de Omapa in statu civili de Oaxaca situm. Tandem archiepiscopatui de Linares exigua illa pars episcopatus Sancti Aloisii Potosiensis adiudicetur quae in civili statu de Nuevo Leon sita est. Ad ceteras autem dioeceses alio iam tempore institutas quod attinet, nihil nunc de eorum statu et definitione volumus esse immutandum. Iam vero novae eadem ut praefertur erectae cathedrales ecclesiae, servata plena iurium paritate, omnibus identidem et singulis gaudeant et fruantur honoribus, prerogativis, gratiis, indultis, caeterisque quibus aliae in Mexicana ditione cathedrales ecclesiae de iure communi gaudent atque fruuntur. Pariter qui titulum, praeeminentiam, dignitatem et ministerium episcopale erit habiturus omnibus et singulis quae ordinarie Episcoporum propria sunt fruatur atque perfungatur. Simili modo et novi praefati christifidelium greges iisdem gaudeant iuribus, honoribus, favoribus et privilegiis, quibus oves dioecesis ad quam transeunt gaudent de iure communi. Nihil autem de dictarum noviter erectarum sedium episcopalium dote per praesentes ducimus esse constituendum. Nobis enim nota est Mexicanici populi pietas et religio, quapropter confidimus eum novis Episcopis haud defuturum iisdemque auxilium et adiumentum praestitum, ut pastorali munere ipsi perfungi et episcopalem dignitatem decenter valeant servare.

Quoniam vero maximopere interest ut tamquam olivae fructiferae in Christi Domini agris constanter pro unaquaque dioecesi probi doctique parentur presbyteri operam accurate navaturi tum divinis et ecclesiasticis officiis, tum animarum aedificationi aeternaeque illarum saluti, iubemus idcirco quod in unaquaque dioecesi episcopale erigatur seminarium in quo excipiantur et instituantur iuxta Tridentinae Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi inspecta propriae dioecesis utilitate vel necessitate admit-

*Novarum
sedium pa-
ria cum
antiquis
jura sint.*

*Nova sedes
liberalitati
fidelium
commen-
dantur.*

*In qua-
que diaecesi
erigatur se-
minarium
ad mentem
Tridenti-
ni.*

tendos esse censuerint. Ipsius seminarii rectores et professores ab eodem Episcopo libere nominabuntur, eidemque Episcopo liberum erit, quotiescumque necessarium vel utile ipse iudicaverit, illos removere. Illud autem summopere Nos urget, ut sacri Antistites omnem impendant curam, quo iuventus in spem Ecclesiae efformanda, Angelici Doctoris sacra et caelesti imbuatur doctrina; ubi enim iuventus ipsa se in disciplinam et clientelam eiusdem Angelici Doctoris tradiderit, facile florebit sapientia veri nominis firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata. Demum ea omnia quae ad seminarii regimen, ordinationem, gubernationem et administrationem pertinent a dioecesano Antistite unice pendere debere praecipimus; qui quidem Antistes suam liberam plenamque auctoritatem et ius in eo exercebit. Liberum porro sit Episcopis ad clericalem statum et ad sacros ordines secundum ecclesiasticos canones promovere, quos necessarios aut utiles suae dioecesi iudicaverint, et e converso quos indignos putaverint ab ordinum susceptione arcere.

Usquedum autem novus sacer Antistes in proprio cathedrali templo suum cathedrale capitulum non habebit, vicarios consiliarios adiutores suae administrationis sibi constitut viros ecclesiasticos, quos ad sacra episcopalia ministeria obeunda idoneos censuerit.

Ceterum quisque Episcopus religionem catholicam Apostolicam romanam sartam tectamque servare satagat atque tueri iis cum iuribus atque praerogativis, quibus ex divina et canonica sanctione ipsa utitur et fruitur. Diligentissime ipse propterea cavebit ne quocumque modo irrepant aut vulgentur errores fidei integritati contrarii et moribus perniciosi. Cum sancta insuper Apostolica Sede liberam communicationem servare satagat et curet prudenter caussas removere quae huic obstare possint libertati. Eiusdem Episcopi similiter erit publicas preces indicere, aliaque pia opera, cum bonum Ecclesiae, aut status, vel populi id postulet, sacras pariter supplications et peregrinationes decernere, funera aliasque sacras functiones. Liberum ipsi erit convocare, celebrare et moderari Synodum dioecesanam

*IX Kal.
JULII
1891.*

*Doctrina
Angelici
Doctoris in
eis praे om-
nibus colat-
tur.*

*Jura
Antistitum
ac munera
ipsis ob-
eunda ex-
plicantur.*

eiusque acta vulgare, servatis tamen quoad omnia canonicis praescriptionibus. Item liberam remanere volumus novis eisdem Episcopis idoneorum parochorum electionem et canonicam institutionem, servatis de iure et more servandis. Sollicite autem current novi Antistites ut catholicae iuventutis institutio in scholis sive publicis sive privatis, quoad fieri poterit, ad catholicae doctrinae normam accurate exigatur; studeant ipsi idcirco sui pastoralis officii auctoritate eiusdem iuventutis religiosam institutionem ita moderari, ut numquam in cuiuslibet disciplinae traditione quidquam subrepat catholicae religioni morumque honestati adversum. Porro in eadem instituenda iuventute viri catholici in professores seu magistros quoad fierit poterit nominentur; et quoniam in ludimastro non minus fidei quam morum honestas est necessaria, si quis in alterutro claudicare compriatur, idem Episcopus eum curet removere. Id vero volumus constitutum ad piarum institutionum conservationem ut singula religiosa instituta, corporationes, piae sodalitates sive iam existentes sive futurae servent libere et valide propugnant tum liberam possessionem bonorum suorum quorumcumque, tum etiam plenam potestatem plenumque ius libere accipendi, fruendi et administrandi bona, redditus, donationes legitime oblatas et obvenientes, nullamque eorum suppressionem, vel unionem, aut alienationem fieri posse decernimus absque Apostolicae Sedis auctoritatis interventu, salvis facultatibus a sacro Tridentino Concilio Episcopis tributis. Canonicam taxam in singulis Apostolicarum litterarum solemnibus expeditionibus quotiescumque novus Antistes cuilibet ex praefatis noviter erectis ecclesiis erit praeficiendus in aureis de Camera florensis centum statuimus; sicque in libris Congregationis S. R. E. Cardinalium Collegii inscribi et in illius tabulario servari praecipimus. Ceterum quoad res, iura et personas ecclesiasticas, de quibus nulla in praesentibus litteris expressa mentio facta est, ea rata omnino et firma prout antea remaneant; quod si aliqua supervenerit difficultas, ea secundum canonicas leges ad eamdem Apostolicam Sedem erit deferenda, eiusque Sedis erit ea cuncta declarare, diluere et componere;

*Institutio
scholaris
præcipue
eorum zelo
commendatur.*

*Foveant
insuper or-
dines reli-
giosos.*

*Aliæ ca-
nonicæ for-
malitates
implentur.*

illa pariter sive ad iura, sive ad munia, sive ad res (intuitu ecclesiastico) pertinentia, quae in praesenti Nostra constitutione expressa non sunt, volumus, quod iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam eiusque disciplinam ab Apostolica Sede admissam regulariter haberi et exerceri debeant atque administrari. Tandem si novarum huiusmodi dioecesium bonum aut publica utilitas aliam novam in posterum exigat circuinscriptionem aut aliquam distractionem, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, id peragendi plenam et liberam Nobis et eidem Sedi Apostolicae reservamus facultatem. Omnibus itaque hisce praemissis ut praefertur expletis et absolutis, nova in Mexicana ditione ecclesiastica Hierarchia iuxta sequentem prospectum erit constituta : archiepiscopatui Mexicano videlicet ecclesias « Puebla, Vera Cruz, Tulancingo, Chilapa et Cuernavaca » in suffraganeas subiicimus; archiepiscopatus de Guadalaxara suffraganeas habeat ecclesias « Zaca tecas, Tepic et Colima »; archiepiscopatui Mechoacanensis suffraganeae sint ecclesiae « Zamora, Leon et Queretaro »; Archiepiscopatui de Antequera sive Oaxaca suffragentur ecclesiae « Yucatan, Chiapas, Tabasco et Tehuantepec »; tandem ecclesias « Sancti Aloisii Potosiensis, Saltillo et Tamaulipas » archiepiscopatui de Linares, et episcopales ecclesias « de Chihuahua, Sinaloa et Sonora », nec non vicariatum inferioris Californiae archiepiscopatui de Durango in suffraganeas addicimus, ac proinde metropolitico illorum Archiepiscoporum iuri respective subiicimus et subiectas fore declaramus.

Haec volumus, statuimus atque sancimus ; decernentes praesentes Nostras litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore **ex** quocumque capite vel quavis **ex** caussa quantumvis iuridica legitima et privilegiata, etiam **ex** eo quod caussae, propter quas praemissa omnia emanarunt adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subscriptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut quolibet alio substantiali, substantialissimo ac specialem et individuam mentionem et expressionem requiri ente defectu, seu etiam **ex** eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda

*Distribu-
untur Ec-
clesiae inter
archiepi-
scopatus.*

*Hæ litter-
ræ, firmæ
ac ratae hi-
bendæ*

*IX Kal.
JULII
1891.*

servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore aut praetextu, aliave ratione vel caussa, etiam tali quae ad effectum soliditatis earumdem praesentium necessario foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris vel facti, vel gratiae aut iustitiae remedium impetrari, vel etiam motu pari concessso et impetrato, quempiam uti seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, ac easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras et constitutiones Apostolicas aut cancellariae Apostolicae regulas editas vel edendas minime comprehendi vel confundi, seu comprehensas aut confusas ullo modo censer, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et ita ab omnibus censer, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, etiam caussarum palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuiilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate, facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Guadalu-
pensi-
Archiepi-
scopo exse-
quenda
mandan-
tur.*

Quocirca Venerabili etiam Fratri Nostro Petro Loza hodierno Archiepiscopo de Guadalaxara per ipsas praesentes committimus atque mandamus, quatenus ipse ad exequutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, omnes et singulas ad id ei quomodolibet necessarias et oportunas impertiendo facultates, ita etiam ut ipse Petrus Archiepiscopus, si omnia supradicta per se ipsum exequi non valeat, aliam personam, in ecclesiastica tamen dignitate constitutam, possit subdelegare.

Non obstantibus Nostra et cancellariae Apostolicae regula « de iure quaesito non tollendo » ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nil poenitus omissa et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.


Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibetur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur si originaliter forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, decreti, suppressionis, extinctionis, exemptionis, liberationis, evictionis, elationis, erectionis, institutionis, dismembrationis, adiudicationis, fundationis, distractionis, attributionis, constitutionis, declarationis, seiunctionis, addictionis, subiectionis, incorporationis, statuti, edicti, praecepti, mandati, concessionis, impertitionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire ; si quis autem hoc attentare presumperit, indignationem om-

*IX Kal.
JULII
1891.*

nipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo primo, nono calendas Iulii, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.



EPISTOLA

ad Archiepiscopos et Episcopos Lusitaniae.

DE REBUS CATHOLICIS IN LUSITANIA.

PASTORALIS vigilantiae, qua ad tuendam fovendamque religionem vires intenditis, novum ac praeclarum Nobis argumentum praebuit conventus illustris Bracarae Augustae nuper actus, quem feliciter absolutum renunciavit Nobis gratissima epistola ab iis ex vobis data qui in eo concessu adfuere. Equidem in ea perlegenda delectati sumus tum zelo et sedulitate Pastoris civitatis quae congridentes excepit, quippe qui rei gerendae praecipuus auctor fuit coetuique sic praefuit ut optatos haberet exitus, tum studiis et pietate Antistitum qui sese eidem adiunxere socios, vel graves misere viros vice sua perfuncturos in ea congressione, tum denique frequentia ingenti lectissimorum hominum e clero populoque fideli, doctrina, virtute et auctoritate praestantium. — Eo gratior autem conventus iste Nobis accidit quod mira fuerit animorum consensio in iis decernendis quae conferrent summopere ad Ecclesiae amplitudinem et rei catholicae profectum. Neque reticere volumus, inter alia quae opportune sita sunt suffragiis concordibus pro temporis locique ratione, non mediocre Nobis attulisse solatium ea capita quae devotam prorsus huic Apostolicae Sedi declarabant voluntatem coëuntium et studium quo flagrant, ut debitus illi pro dignitate habeatur honor, neve quid de maiestate et iuribus eius minuatur.

Bona profecto Nobis spes inest fore ut ea quae conscita in eo coetu et constituta sunt, quum naviter constanterque peracta fuerint, largam effundant salutarium fructuum ubertatem; at facere non possumus quin memoremus amplam adhuc prostare segetem quae operam poscit et industriam vestram. Ob eam rem etsi non ita pridem datis litteris vos alloquuti sumus de statu rei catholicae eiusque necessitatibus in Lusitano regno deque ratione ineunda ut iis comode prospiciatur, placet tamen iisdem litteris nonnulla

JULY 25
1891.

*Pontifex
laudat acta
in recenti
conventu
Bracara
habito.*

*Inde oc-
casione
sumit ut
itterum de
rebus Lusi-
tanice cum
ejusdem
Antistiti-
bus agat.*

*JU
NII
1891.*

adiicere, quae pretium esse ducimus communicare vobiscum, ne, quum ultiro oblata vobis sit scribendi occasio, videamur segniter officio Nostro defuisse.

*Mala
temporum,
præsertim
fides in di-
scrimen vo-
cata, con-
grua reme-
dia expo-
stulant.*

Haud vos praeterit, dilecti filii Nostri, Venerabiles Fratres, quod Bracarensi coetui optime compertum fuit, eo deventum esse ut fides ipsa apud plures in discrimen vocetur, adeoque cavendum pro viribus sit ne ignorantia vel socordia ex animis excidat aut elanguescat, sed curandum ut haereat alte defixa cordibus et in bonis operibus cultuque virtutum laetam gignat copiam et dulcedinem frugum optimarum. Certandum est adversus conatus hostium veritatis ne latius serpat mala labes quae ex eorum exemplis pravisque doctrinis passim effusis promanat. Multa sunt consananda vulnera, quae istorum labor improbus et calamitas temporum gregibus intulit curationi vestrae commissis, multa sunt excitanda quae iacent, multae adhuc animas fidelium premunt necessitudines, quas, si penitus tolli nequeunt, leniri saltem oportet.

*Quæ, ut
efficacius
applicen-
tur, con-
cordia per-
fecta inter
Antistites
multum
præstat.*

Haec, quae, ut diximus, curas flagitant et industriam vestram plenius et commodius effici poterunt si arctior in dies inter sacrorum Antistites concordia fiat, eorumque sit opera coniunctior in necessitatibus cleri et fidelium explorandis, in conferendis conciliis ac decernendis iis, quae communiter visa fuerint expedire cum singularum dioecesium rationibus, tum iis quae latius patent et altius eminent, quippe quibus gentis universae prosperitas et salus continetur. Arctioris huius consociationis inter sacrorum Antistites opportunitas minime latuit eorum prudentiam qui Bracaram Augustam convenere : quare probatissima Nobis ea scita fuerunt illustris coetus quae ad hanc coniunctionem fovendam spectabant, per quam fidelis populus ampliora expectat eaque diurna benefacta a Praesulibus suis, quibus ducibus et rectoribus utitur.

*Ad hanc
vero con-
cordiam
maxime
conferunt
Episcopo-
rum con-
uentus an-
nui.*

Atqui ad summam hanc diuque duraturam coniunctionem efficiendam nihil praestabilius est more et instituto in aliis regionibus iam recepto, ut praeter congressiones quibus etiam laici fideles intersunt (cuiusmodi coetus Bracaren sis fuit) agantur quotannis peculiares Episcoporum conven-

tus, quem morem penes vos etiam induci et vobis in votis esse novimus et Ipsi magnopere optamus, quum bona eius ope religioni parta, multiplici et constanti eluceant experientiae testimonio. — Sane ex huiusmodi conventuum frequentia primum ea sequitur, quam diximus, summa consensio et consociatio virium, quae una magnis inceptis faustos dare potest exitus, tum coëuntium Antistitutum magis magisque incenduntur ad agendum animi, confirmatur fiducia, collustrantur mentes collatis consiliis et invicem sapientiae luminibus communicatis. Ad haec per hosce coetus sternitur via quodammodo cum ad dioecesanas et provinciales habendas Synodos, tum ad cogendum nationale concilium, cuius celebrationem vobis in optatis esse magnopere gaudemus, eam namque diurna experientia utilitatis e similibus praegressis captae vehementer suadet, et sacrorum canonum praescripta maiorem in modum commendant. — Porro ex annuis, quos diximus, Antistitutum conventibus illud etiam optimum sequitur ut laici fideles novis veluti stimulis admotis alacrius gradientes ea quam iniere via pergent et ipsi conventus agere, consilia conferre, iunctisque viribus conniti ad communem tuendam religionis caussam, ac dicto audientes Pastoribus suis ea studiose peragere quae ab ipsis docentibus et cohortantibus excepint. Neque vero congreidentibus vobis in coetibus annuis negotiorum copia defutura est, quibus vos oporteat studium operamque navare. Nam praeter peculiaria negotia quae forte in singulis dioecesibus inciderint, quaeque rectius expediri potuerint adhibitis communis experientiae luminibus, amplam praebebit segetem prudentiae et consultationi vestrae deliberatio et constitutio eorum quae maxime profutura sint ad incendenda sacerdotum studia qui modo operantur in vinea Domini, atque ad alumnos excolendos quos enitere aliquando oportebit in domo Dei solidae scientiae lumine, germani spiritus ecclesiastici laude, omni demum sacerotalium virtutum ornatu. — Item paternam vigiliam vestram exercebit diligens inquisitio eorum, quae plurimum conferant ut fidei rudimentis populus recte imbuatur, eiusque corriganter mores, ut scripta vulgentur quae sanam

*Hujus institutionis
fructus exponuntur:
Unio major
inter Pa-
stores atque
greges;*

*deliberatio
communis
de rebus
conducenti-
bus ad ani-
morum in-
formatio-
nem, pre-
sertim cle-
ri,*

*necnon ip-
sius populi;*

*25
JUNII
1891.*

*insuper
favendi re-
ligiosi ordi-
nes peruti-
les, tum in
regno Lusi-
tanice,*

*tum in
regionibus
ipsi subdi-
tis.*

*Avitam
tradicio-
nem Lusi-
tanica ca-
tholica fa-
cilius ser-
vabit,*

*sodalitiis
religiosis
adjuta,*

doctrinam serant, et virtutum germina foveant, ut opera instituantur quae benefacta caritatis effundant, et quae iam condita sunt novis floreant incrementis. — Gravissimum denique argumentum deliberantibus Vobis datura erit opportunitas constituendi recipiendique in Lusitano regno religiosas sodalitates, cuius rei periucunde vidimus summam fuisse curam omnibus qui Bracarae Augustae congressi sunt. Scilicet haec sodalitia non modo auxiliares quasi copias suggesterent clero, qui in dioecesibus vestris sacram Christi militiam colit, sed etiam, quod plurimi est, sufficere poterunt Apostolicos viros, qui sacrarum missio- num obeant ministerium in regionibus transmarinis Lusitaniae ditioni subiectis. Huius autem perfunctio muneris cum ad amplificandum Christi regnum in terris erit profutura, tum ad Lusitani nominis ornamentum et decus. Sane peren- nem adepti sunt gloriam Principes et maiores vestri quum, amplis quae latuerunt regionibus detectis, evangelicae do-ctrinae lumen una cum politiori humanitatis cultu, favente ac iuvante Apostolica Sede, iis attulere. — Verum ut pae-claris hisce inceptis sua constet natura et vis, neque ea a pristina gloria et stabilitate decidant, nitantur oportet con-stanti praesidio et virtute praestantium virorum, qui divino spiritu oppleti et contra adversos acatholicorum conatus obnitentes, studium omne suum et operam conferant ne omnino intercidant, sed novo indito vigore reviviscant ea bona quae in eas oras e Lusitana regione fluxerunt. Ho-rumce virorum erit contendere ut qui iam crediderunt in Deum confirmentur in fide; hanc qui firmiter tenent, pae-se ferant etiam honestate morum, religionis cultu, summa in servandis officiis diligentia, demum ut qui iacent adhuc in tenebris sese ad cognitionem veri Dei et ad evangelii lucem accipiendam convertant.

Iamvero plures huiusmodi viros sancto flagrantes zelo large praebere poterunt religiosae sodalitates quarum alumni, prudentium virorum iudicio, cui aetatum omnium suffragatur experientia, non minus feliciter quam laboriose perfungi consueverunt hoc ministerio salutis. Hos enim cum societatum quibus addicti sunt ratio et disciplina, tum

sua cuiusque virtus constanti exercitatione exulta tanto pares operi p̄ae ceteris solet efficere.

Nobis profecto persuasum est fore ut Lusitanum gubernium prona excipiens aure consilia vestra eaque bona plurimi faciens quae ceteris antecellunt, ultiro amoliatur obices omnes qui religiosarum sodalitatum libertatem intercipiunt, ac potestate sua faveat studiis vestris, quae eo spectant ut pleno robore vigeat lateque floreat cum avita gloria catholica religio in Lusitania locisque omnibus ditioni eiusdem adiectis.

Hanc autem persuasionem eo facilius iuduimus quod iam neminem latet, prout et vobis compertum est, quaenam Nostra sint hac super re consilia et vota. Haec scilicet, dum ad religionis bonum feruntur, intendunt pariter solidam Lusitanae gentis prosperitatem. Hoc enim munus, hae partes Ecclesiae a divino Conditore datae sunt ut in communi hominum societate vinculum pacis sit et salutis praesidium. Quare nihil detrahit Ecclesia de potestate eorum qui civitatibus cum imperio praesunt, illam imo tuetur ac roborat, dum legibus ab ea manantibus sanctionem religionis addit, debitam magistratibus observantiam inter officia a Deo imposita recenset, commonet cives ut a seditione et quavis rei publicae perturbatione abstineant, docet omnes virtutem colere et munia sedulo obire quae cuiusque statui et conditioni cohaerent. Est itaque Ecclesia morum magisterium optimum, cuius salutaris disciplina cives praestat probos, honestos, pios in patriam, fideles principibus iisque addictissimos, tales demum qui publici civitatum ordinis stabile firmamentum constituant, iisque vires praebant invictas ad ardua quaeque et praeclera aggredienda facinora. Eapropter rei publicae salubriter utiliterque consulitur quum Ecclesiae sinitur ea uti agendi libertate quam iure vindicat, eique amice via sternitur ut late explicare beneficas vires suas, et omnem quo praedita est instructum in commune bonum valeat adhibere.

Quae quidem sententia licet ad gentes omnes pertineat, aptissime tamen cadit in Lusitanum populum, penes quem catholicæ religionis pars tanta fuit iampridem in fingendis

*ſavente
gubernio
Lusitano.*

*Ecclesia
reipublicæ
validissi-
mum pra-
sidium,*

*optimorum:
civium ma-
gistra,*

*ſi tamen
libertate
gaudeat;*

*quod in
Lusitania
præceptue
ostendit.*

²⁵
JUNII
1891.

hominum moribus et ingenio, in fovendis scientiarum, litterarum et artium studiis, in inflammatis animis ad egregia quaeque domi militiaeque gerenda, ita ut videatur quasi parens et altrix divinitus data ad pariendum fovendumque quidquid in ea gente enituit humanitatis, dignitatis et gloriae.

*Recolens
precedentes
suas ad Lu-
sitanos
episcopos
litteras, si-
mulque glo-
riam gentis
Lusitanæ,*

Fusius hac de re vobiscum egimus in memoratis litteris encyclicis quas dudum ad vos dedimus: hoc unum modo praestat recolere, religionis vim et virtutem nullum pati interitum, quia ea quae tradit principia doctrinae, Deo auctore, nullis temporum locorumve finibus coërcentur, quippe ad salutem et solatium pertinent populorum omnium. Quare ea beneficia maxima, et valida praesidia quae alias attulit prænobili genti vestrae potis est adhuc praestare ad eius salutem, prosperitatem et decus. Hoc præsertim tam iniquo tempore, quo tanta est animorum infirmitas vel perturbatio ut oppugnantur audacter, nedium in incertum revocentur, summa principia quibus humanae societatis ordo et tranquilitas continetur, nemo est quin intelligat quam necesse sit religionis uti praesidio et sanctis quae ab ea traduntur præceptis ac documentis.

*Pontifex
doctrinæ
catholice
vim maxi-
me com-
mendat.*

Convenit enimvero inter cordatos omnes honestosque viros nullum certius esse aptiusque remedium adversus mala, quibus Nostra premitur aetas et pericula quae impendent, quam doctrinam catholicam, si integra excipiatur et incorrupta, eumque teneant homines vitae cursum qui ad normam eius exigatur.

*Zelum
Antistituti
laudat at-
que stimu-
lat.*

Quamobrem non ambigimus, Dilecti Filii Nostri, Venabiles Fratres, quin eo quo praestatis pastorali zelo, animi vi et constantia manum admovere properetis operi quod vobis commendavimus. Ita vobis agentibus erit summae laudi iustaeque gratulationi quod optime mereri potueritis de religione, cui studetis summopere, ac de patria et gente vestra, cui vehementer optatis non minus quam cupimus Ipsi, ut constet immota tranquillitas et cuncta ex sententia procedant.

Deum interea adprecantes ut vos suis muneribus cumulet et vestra propitius incepta secundet, Apostolicam benedi-

ctionem, paternae caritatis testem vobis, clero et fidelibus
vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino im-
pertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 25 Iuni 1891, Ponti-
ficatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Archiepiscopum Trevirensim.

DE SACRA D. N. TUNICA.

JULII
1891.

Pontifex
gaudet de
sacra D.N.
Tunica ad
veneratio-
nem fide-
lium mox
majorum
more propo-
nenda.

Dignita-
tem ac fru-
ctus hujus
publici cul-
tus cele-
brat.


Leonis X,
vestigia
premens,
indulgen-
tias S. Tu-
nicam ve-
neraturis
concedit.

COGNOVIMUS ex litteris tuis, die 4 Iunio mense datus, velle te consuetudinem veterem, communī populorum pietati valde caram, in primisque Trevirensium tuorum desiderio expetitam, longo intervallō revocare: nimirum *Tunicam inconsutilem* D. N. IESU CHRISTI, qua templum Trevirensē princeps tamquam thesauro longe maximo gloriatur, more maiorum ad venerandum proponere. Catholicis autem ex Germania viris, qui anno 1887 istuc ad sedem honoris tui in coetum convenabant, idem in votis significas fuisse. Et recte quidem: propterea quod amotis difficultatibus, quae rei catholicae apud vos multis modis impediabant cursum, iam ad alendam augendamque fidem oportet restitutae tranquillitatis beneficia convertere. — Tu vero probe vides, delatos sacrosanctis istis reliquiis solemni ritu honores ad Dei omnipotentis gloriam, unaque ad incrementum popularis religionis expiationemque animarum magnopere pertinere. Pulcrum est ac salubre his nominatim tam alienis a fide christiana temporibus rerum sanctissimarum publice excitari recordationem et multitudinem invitari ad altissima salutis humanae recolenda mysteria. — Itaque consilium istud tuum non minus ab opportunitate iudicamus, quam a pietate laudabile: tibique auctores sumus ut ad rem, propitio Deo, Nobisque perlibentibus, aggrediare. Nos vero ad ea intuentes, quae a Leone X decessore Nostro per litteras Apostolicas *Salvator Noster*, anno 1514, 7 calendas Februarii, simili in caussa constituta sunt; quo pietas publica magis ac magis incitetur, fructusque ferat ubiores, decrevimus civibus advenisque universis pontificalis indulgentiae, ad labes animi expiandas, beneficia tribuere: idque ex litteris commodius intelliges, quas ea de re iussimus expediri. — Interea caelestium mu-

nerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam benedictionem per amanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Iulii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



LITTERAE APOSTOLICAE.

QUIBUS IMMACULATAM VIRGINEM
DEI GENITRICEM MARIAM PRAECIPUAM
CONGI INDEPENDENTIS PATRONAM
HABENDAM ESSE DECERNITUR.

21
JULII
1891.

Pontifex:
lætatur de
incremento
Evangelii
in Congi
independen-
tis sta-
tu.

Zelum Con-
gregationis
de Scheut-
veld, simul
ac Belga-
rum Regis
landat,

ne non
egregiorum
virorum,
quorum
aliquos, no-
mine pro-
prio citato
celebrat.

OPTIMAE quidem spei, quam recenti Congi independentis statu sub carissimi in Christo Filii Nostri Leopoldi II Belgarum Regis auctoritate constituto, iure meritoque conceperamus, fore nimirum ut vastissimis illis Africæ tractibus erroris adhuc caligine circumfusis evangelicae veritatis lumen affulgeret, exitus iam respondisse satis prosperos non mediocriter delectamur. Postquam enim in iis regionibus vicariatum Apostolicum per Nostras litteras constituimus, constitutumque congregationi ab Immaculato Corde Mariae, vulgo « de Scheutveld-lez-Bruxelles » nuncupatae gerendum tradidimus, silvestris illa atque inculta vineae Domini pars operiorum culturae, ut Nobis significatum est, se facilem praebuit, latosque de se fructus atque uberes coepit polliceri. Nunc vero spes Nostra maxime confirmatur atque augetur ex eo, quod ipse Belgarum Rex probe intelligens in catholica religione originem et fontes humanitatis inesse illius propagationi per populos ditioni sua recens additos ita favit ut eiusdem propagationis auspex extiterit et patrocinium libens suscepit. Ex quo quidem auspicato illud obtigit, quod Belgae complures Regis in exemplum ad nova provehendi per Africam gentem catholici nominis studia statim exarserint et salutare opus alaci animo aggressi iam multa perfecerint, quae Nos illis merito gratulemur. Quibus in rebus dum singularia divinae providentiae beneficia agnoscimus, non minus miramur studium et constantiam tot lectissimorum virorum, qui primaevos evangelii nuntios aemulati et non aliam sibi depositent mercedem, quam salutem animarum, per Africanas regiones serunt verbum

Dei easque nobili sudore secundant. Itaque cum bonorum omnium datori Deo gratias agimus, tum meritis laudibus libenter prosequimur praestantes viros, qui christianaे Afrorum culturae praeſunt; et placet in primis memorare dilectum filium Osvaldum Mariam Van de Berghe ecclesiae Sancti Iosephi Antuerpiae parochum, qui primas stationes religiosas, utile quidem ac fructuosum opus, studio sumptuque suo constituendas curavit. Participes cum eo sicut operis, ita gloriae, novimus esse dilectos filios Comites Mauritium de Ramaix et Florimundum de Bergeyck egregie et ipsos de fidei per Congum propagatione merentes, unaque cum iis Ludovicum van Ockerhout, qui hospitalem domum in egenorum subsidium sua impensa excitavit. Verum Nos non ita Belgarum studio in Congi regionibus evangelii luce collustrandis permovemur, quam iucunde afficimur singulari eorum pietate, summa fide et spe quam in Deo positam habent. Ipsorum enim plurimi haud ignari labores suos in colendo agro Dominico tam deserto atque aspero haudquam pares futuros, nisi caelestis vineae Dominus vires suppeditarit, divinam eius opem implorandam et interpretem votorum adiutricemque adhibendam Immaculatam Mariam Virginem concordi studio censuerunt. Nihil immo fore aptius atque opportunius iis visum est, quam ut in abducendis ab errorum superstitione gentibus Congi iisque ad veram Christi sapientiam advocandis, itemque in servitute Nigritarum delenda, eamdem sibi caelestem Patronam adsciscerent Genitricem Filii Dei, a quo lumen mentium et filiorum libertatem accepimus. Quibus e rebus dilectus Filius Noster Petrus Lambertus S. R. E. Presbyter Cardinalis Goossens ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Mechliniensis et praeses honorarius illius coetus, qui opus fidei in Congo Belgico dilatandae omnimode promovet, et Venerabiles Fratres Belgici Antistites una cum clero et supremis moderatoribus Congi, nec non illustres alii pietate et munifica liberalitate viri, quos inter lubet commendare dilectum filium Comitem Iosephum de Hemptinne memorati coetus solertissimum praesidem, supplices ad Nos dedere litteras quibus petitur, ut Immaculata Virgo

JULII.
1891


*Postulan-
tibus Bel-
gis, ut Bea-
tissima
Virgo Im-
maculata
Congi inde-
pendentis
Patrona
proclame-
tur,*

Dei Genitrix Maria independentis Congi status praecipua apud Deum Patrona auctoritate Nostra Apostolica renuntietur. Nos piis hisce precibus eo libentius annuendum censuimus, quo impensiori religionis studio Nobis sunt exhibatae. Caeterum non sumus dubii quin consilium a memorato Van de Berghe patefactum longius producatur, adeoque confidimus fore ut in libero Congi statu dignum pietate Belgarum, dignum maiestate atque amplitudine Augustae Patroneae templum quamprimum assurgat. Quare quod bonum felixque sit et Africæ gentis saluti benevertat, Nos Apostolica auctoritate Nostra per has litteras Immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam Congi Independentis praecipuam in caelis Patronam perpetuum in modum constituius, renuntiamus; eique honores omnes ac privilegia attribuimus, quae principibus locorum Patronis de iure competit: ac propterea festum Assumptionis Deiparae die decimaquinta mensis Augusti quotannis occurrens tamquam Patronale ibidem haberi et reddi volumus, iubemus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quo modolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attenari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 21 Iulii 1891, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

*Pontifex
libenter
assentit se-
sto Assum-
ptionis Dei-
paræ ut pa-
tronali as-
signato.*



EPISTOLA

ad Gulielmum Alliata, praesidem generalem

societatis catholicae iuventutis Italicae.

DE SOCIETATE CATHOLICAE IUVENTUTIS

ITALICAE.

SINGULARI cum benevolentia excepimus prosperitatis omina, quae cum significationibus fidei et obsequii in hanc Apostolicam sedem Nobis obtulisti, nomine superioris consilii et universae societatis Italae iuventutis catholicae cui praees, appetente die sacra Viro Sancto unde Nobis dictum est nomen. Vehementer enim iuventutem diligimus, quam cum accedere ad Nos videamus, multis licet obnoxiam insidiis et periculis temporum iniquitate impendentibus, ut sua erga Nos studia testetur, facere non possumus quin eam sollicitudine et caritate paterna complectamus. Opera autem peracta zelo et beneficentia vestra exemplis iuncta religionis et pietatis a vobis editis quum laetam Nobis spem faciunt futurae praestantiae vestrae in arduo virtutis cultu, tum etiam efficiunt ut optime de Ecclesia meritam iudicemus societatem vestram, ac sedulo curemus ut sospes sit et incolumis, novisque in dies floreat incrementis.

Quam ob rem quum noverimus nuper aegro dolentique animo, discordias seri inimici hominis astu in eorum acie qui rem catholicam in Italia propugnant, ex quo communicaussae tristis infertur iactura, valde gavisi sumus ea litterarum parte, qua pollicebamini societatem vestram non modo constanter futuram audientem dicto tum Nobis tum singularum dioecesium Praesulibus, sed etiam animis consiliisque consonantissimam fore cum aliis virorum coetibus, qui pro eadem caussa Ecclesiae in hac regione decertant.

Iamvero huiusce caussae dignitas et amplitudo, cui par est inserviant catholici universi, omnino flagitat, et Nostra haec est voluntas, ut sublatis contentionibus quae sodalium stu-

8
SEPTEMB.
1891.

*Gratus
de votis ad
se missis,
Pontifex
testatur a-
morem su-
um in ca-
tholicam
juventu-
tem, socie-
tatemque
ejus nomine
dicatam.*

*Concor-
diam, quam
policita est
sese serva-
turam la-
etus salutat,*

*rursusque
strenue in-
culcat,*

258 EPISTOLA " SINGULARI CUM BENEVOLENTIA ,,"

*Normas
quasdam
perutiles
Societati
catholicæ
juventutis
servandas
tradere
intendit.*

*Laudat
Societatem
a conventi-
bus et comi-
tibus ca-
tholicis di-
ctam.*

*Societas
catholicæ
juventutis
sui juris ac
libera ma-
neat.*

*Religioni
ac virtuti-
bus impri-
mis addi-
cta,*

dia in diversa trahunt, omnis dissensionis vox conticescat, atque omnium cor unum sit et anima una, quum de iis bonis tuendis agitur quibus patriae salus et religionis decus continentur. — Quo firmius vero haec concordia constet peropportunum Nobis videtur breves quasdam designare normas, quae si diligenter servatae fuerint a societate vestra, duplex eidem obveniet utilitas. Namque et liberas poterit explicare vires in iis rebus gerendis quae rationi conveniunt institutionis suae ac socrorum aetati, et commode poterit, uti par est, opera iuvare, consilio et gratia ad maiora incepta perficienda societates alias in quas coivere perfectae aetatis viri.

Has inter excellit societas quae a conventibus et comitibus catholicis nomen habet, quippe quae pro amplitudine constitutionis suae et finium quos habet propositos, ea potest aggredi quorum utilitas celsius eminet ac prope universos attingit. Atqui facile intellectu est societatem vestram, quae solis constat iuvenibus ad christianam vitam excolendis, ad tam arduum onus obeundum non sese porrigere quod ad perfectam aetatem pertinet; tametsi possit ac debeat cum aliis conniti quo plenior sit coniunctio et conspiratio catholicarum virium, quam suadet utilitas et necessitas exigit.

Hoc itaque primum, capit is instar, principium sit, societatem vestram, quae sui iuris et potestatis est, statum suum servare oportere, nec quidquam immutandum de ipsius constitutione aut detrahendum de libertate agendi ea omnia, quae statutis queis utitur congruunt. Scilicet quum eo spectet imprimis institutum vestrum ut iuvenes assuescant profiteri impavide catholicam fidem et fidei consentaneam agere vitam, atque ita aequalibus et populo praeire exemplo ut vigeat in animis religionis studium atque obsequium in auctoritatem Ecclesiae et iura romani Pontificis, vestrum est potissimum (ad ea quod attinet quibus perficitur animus) vacare precibus et studiose christianas virtutes colere, inire invicem sanctae et veracis amicitiae foedera et ea vitare sedulo quibus religio laeditur aut verecundia. In iis autem quae bonum alienum respiciunt, eae curae praecipuae zelum vestrum exerceant, ut festis diebus debitus habeatur honos, ut decenter et amplifice fiant quae ad cultum Dei pertinent,

ut pueri ex populo recte religioseque instituantur, ut collata stipe aliisque amoris significationibus testentur cives piatem suam in Apostolicam sedem; denique ut subsidia comparentur iis qui ephemerides et libros vulgant, quibus sana doctrina continetur: cuius rei curam tempus ipsum monet esse, nedum opportunam, apprime necessariam. Ampla satis haec provincia est in qua ex legibus consociationis vestrae fas est vobis liberrime proprias explicare vires quin liceat cuiquam sese inceptis vestris interponere.

Qua quidem in provincia egregie vos hactenus esse versatos agnoscimus. Quin imo et alia meminisse placet, quae multa cum laude et utilitate civium praeclare a vobis gesta vidimus in hac alma urbe, ac libenter videremus propagata passim alibi moribusque recepta. Huiusmodi sunt instituta quae ad levamen pauperum intendunt, ut permodico sumptu cibus iis suppetat et quiescendi locus; quorum summa opportunitas neminem latere potest in tanta rerum omnium inopia. — Nec minori laudi fuit coetui vestro cura a vobis suscepta ut derelicti adolescentes et docerentur quae circa fidem et mores novisse oportet, ac pueri rite instituti et comparati ad sacram synaxin accederent. Quin etiam meminimus, aliquando pro singularibus rerum adjunctis paratas apte ac peractas feliciter fuisse ope vestra (collatis consiliis cum iis quos audire oportebat) pias peregrinationes ad sacras aedes religiosissimas, praesertim in hac urbe sitas, quae centrum est catholicae unitatis et inclyta sedes heredum Principis Apostolorum. — Cuius rei recordatio Nos tacite monet ut meritis ornemus laudibus studia et officia perhumaniter collata a Romana iuventute iis peregrinis, qui undique terrarum accessere ad Nos frequentissimi. Est itaque et haec nova seges quae patet adhuc iuventuti actuosa ut ibi industriam suam exerceat, modo huiusmodi opera praeter consuetudinem suscepta rite et ordine gerantur, neque incepta aliorum impediunt, qui forte opus idem iure ac tempestive fuerint aggressi: quod si contigerit, opem secundam eis praebere vos addecet. — Neque vero necesse est vos a Nobis moneri, facultatem agendi, qua vos uti fas est citra eos quos diximus fines, obsequi et subesse

⁸
SEPTEMB.
1891.

populum
christiane
curet exco-
lendum. Se-
dem Apost.
vindican-
dam.

bona scri-
pta spar-
genda.

Laudat
Societatem
de institu-
tis ad leva-
men paupe-
rum.

ad recolli-
gundos ado-
lescentulos
derelictos,

dc promoto-
ris ad pia
loca pere-
grinationi-
bus,

de que opti-
me suscep-
ptis Ro-
mam pere-
grinantes.

Quæ omnia
opera lau-
dantur au-
ctoritati
ecclesiasti-
cae rite sub-
missa.

oportere ecclesiasticae auctoritati ; siquidem excelluit semper societas vestra obedientia et obsequio in sacrorum Antistites.

*In his
præstandis
commenda-
tur spiritus
fraternæ
dilectionis.*

*Hic enim
spiritus
suggerit ut
mutuam
opem ami-
cam ad
communem
finem, ju-
niiores
præsertim
senioribus
præsent,*

*insuper ut
junioresha-
bili pale-
stra ad for-
tiora for-
mentur, vi-
rorum so-
cietati, ju-
ventutem
egressi, no-
men datu-
ri.*

*Concor-
diam atque
fraternum
complexum
iterum
comen-
dans, soda-
libus Pon-
tisfex bene-
dicit.*

Principium alterum, quo diversarum societatum mutuas rationes regi oportet, et quo quasi nexu nobilissimo iungi debet coetus vester cum societate conventuum et comitatum catholicorum, constat vigetque e spiritu sincerae dilectionis et fraternae communitatis in bonis operibus agendis, ex qua fructus prodeunt suavissimi concordiae et unitatis. Flagitat hic spiritus præ primis ut in iis incepitis, quae quasi suo iure adserit sibi praedicta societas, eidem amicam quam poposcerit opem impigre præbeatis pro viribus. Quum enim non agatur de viris quos inter iudicium sit uter alteri præstat, sed de religione quae cunctis anteit, eiusque rationibus, probe intelligitis ius esse viris, qui istas tuentur, poscendaे opis vestrae, vobisque sat esse oportere si in partem operis eximii vestra vocetur aetas, quicumque tandem locus honoris sit qui tribuatur alterutris. — Praeterea hic idem fraternae communitatis spiritus a vobis flagitat, ut perpendatis quantopere intersit communis caussae ut apte instruantur iuvenes ad ea certamina et egregia facinora quae virorum sunt, atque ita in coetu vestro quasi in palestra et gymnasio parentur Christi milites, qui suppleant ordines queis constat opus conventum et comitatum, quod languescat oportet, nisi identidem novis sustentetur copiis ex acie vestra profectis. Eapropter e re societatis utriusque esse censemus et vehementer optamus, ut sodales ex instituto vestro iuventutis annos egressi continuo dent nomina alteri quem diximus coetui, a quo perlubenter excepti parem profecto vicem benevolentiae gratique animi recipient.

Concordibus itaque studiis et fraterno complexu coniuncti eadem adsuescite sentire ac velle; nec ulla sit inter utrumque coetum vel sodales singulos contentio aut aemulatio. Unum esto inter vos honestissimum dignumque vobis certamen mutuae caritatis et officiorum. Hoc fideles decet asseclas Christi qui sub eius signis militiam faciunt; ea laude contendite excelleri. Quod si praestiteritis, non modo


fructum capietis optatissimum virtutis vestrae, ut diffusae
per Italiam catholicae vires coalescant in unum, sed firma
haec et immota concordia vos hostibus formidandos efficiet,
et inita a vobis praelia sequetur victoria.

SEPT⁸EMB.
1891.

Divinae interea benignitatis auspicem et testem paternae
caritatis Nostrae Apostolicam benedictionem tibi, dilekte
fili, consilio superiori et universae societati catholicae iuven-
tutis Italicae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII septembris 1891,
Pontificatus nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



EPISTOLA

ad Ioannem Baptistam Paganuzzi,
praesidem comitatus generalis permanentis
praepositi operi conventum virorum
catholicorum in Italia.

DE INSTITUTO CONVENTUUM CATHOLI- CORUM IN ITALIA.

9
SEPTEMB.
1891.

Pontifex
lætatur de
proxime
habendo
Vicentiae
catholico-
rum con-
ventu.

In Italia
præsertim
tales con-
ventus per-
utiles esse
declarat.



IRIFICE Nos delectavit perlatum Nobis nuncium de novo conventu catholicorum ex Italia virorum propediem Vicentiae agendo in quo, perinde atque in aliis praegressis, de quaestioni bus agetur rebusque gravissimis, quae naturae huiusc insti tuti et temporum rationi convenienti. Libenter equidem id acceptum referimus studio potissime et sedulitati comitatus generalis coetibus hisce cogendis addicto, cui naviter impigreque praesides; atque hoc imprimis laudi vobis vertimus quod adnitamini ut quotannis, ad exemplum aliarum gentium, eiusmodi conventus habeantur, qui quum ostendunt et augent vitalem vim fidei quae congradientur animos erigit, tum plurimum caussae conferunt religionis et patriae. —

Quare magnopere expedire censemus ut ubique gentium, præsertim vero in Italia, ubi indictum Ecclesiae bellum acrius saevit, catholici viri qui ceteris praestant doctrina, prudentia et studio religionis, ex qua tantum obvenit patriae decus, quasi in fraternalm communitatem coniuncti consilia et vires conscient suas. Quam consociationem eo spectare oportet ut non modo hi lecti viri solemnius et constantius in unum coacti tradita ab Ecclesia documenta præseferant et altius animis defigant, sed etiam efficiant collatis studiis ut illa vulgata passim, indita mentibus, ac penitus insculpta cordibus Italorum hominum, eam pariant emendationem morum rerumque in melius conversionem, qua tantopere huinana societas indiget. — Enimvero ad haec bona compa randa intendere comperimus conventum nuper per vos in-

dictum ; imo et argumenta, quae deliberantibus proposuitis, digna plane agnoscimus religione vestra, egregia in Ecclesiam fide et devota erga Nos voluntate. Huiusmodi enim est inquisitio rationum, quae aptissimae sint ad levandas operiorum necessitates (sive hae corpora premant sive animos) iuxta normas praestitutas in litteris Nostris encyclicis de opificum conditione inscriptis ; item quaestiones de consiliis ineundis ut iuvenilis aetas probe religioseque instituatur, ut probi piique cives in municipiorum et provinciarum consiliis sedeant, praesertim vero (quod maximi momenti est) ut excitentur studia fidelium cum ad graviores disciplinas excolendas, tum ad eos iuvandos, qui per ephemerides et libros curant ut quae scitu necessaria sunt iuxta sanam doctrinam hominibus tradantur. His denique accedit expressa in praedictis argumentis sollicitudo vestra levandi angustias in quibus versamur ac novas parandi significationes communis erga Nos observantiae.

Oppido haec omnia religionem, fidem et filiale studium vestrum maiorem in modum Nobis commendant, gratique animi vicem sibi vindicant; verum dum merita ornamus laude proposita vestra, nolumus hisce finibus orationem Nostram contineri, sed placet altius assurgere et totum hoc institutum catholicorum conventuum et comitatuum merita laudatione complecti. Hoc Ipsi iam pridem probavimus ac provehere contendimus verborum et literarum incitamentis; novimus enim plurimas quas habet opportunitates et commoda amplissima quae praestare potest ad religionis praesidium et salutem rei publicae, si nullis interceptum obstaculis nulloque turbatum dissensu omnes nanciscatur studiosos sui sibique secundos, qui vel privatim agentes vel in coetus coacti eamdem caussam tuendam suscepere.

Neminem profecto latet cur seditiosi homines et sectae christiano nomini infensae tam acriter in Italia Ecclesiam oppugnant; ac nemo ex honestis cordatisque viris non dolet acerbe exitia et clades, quas in familias et civitatem intulit pertinax impietas et praeceps in flagitia libido. In hoc conflictu asperrimo, in quo ea vertuntur quae summopere intersunt, catholicorum est eam aciem incunctanter sequi, cui

SEPTEMB.
1891.

*Probat
argumenta
proximi
conventus
deliberatio-
nibus pro-
posita.*

*Inde lau-
dat institu-
tum catho-
licorum
conventuum
et comita-
tuum.*

*Dolet be-
lum in Ita-
lia Eccl-
sie illa-
tum, colla-
bentesque
mores.*

proposita salus est conflictatae Ecclesiae, et hanc quasi instructo confertoque agmine tueri viriliter. Iam vero has partes nobilissimas suscepit prae ceteris consociatio vestra.

*Ad haec
mala de-
vincenda
egregie co-
hortes ca-
tholici in-
stituti in-
cedunt. Pe-
cclesia,
virtutibus-
que chri-
stini ad-
dictissimæ.*

— Quare ad Ecclesiae praesidium scite constituit comitatus paroeciales, dioecesanos et provinciales, qui, quasi praefectis addictae cohortes, parochis et Episcopis fidele praebent ministerium, atque ita adnititur in unum cogere palantes per Italiam totam catholicas vires. Quo facto eo tenditis ut ceteris coniuncti, qui eadem sentiunt, graviter ac solemniter profiteamini salutaria fidei principia et doctrinas Ecclesiae, ac vestrum illi declaratis obsequium animumque addictissimum. Quum porro satis non sit impavida fidei professio nisi consona fidelium actio sequatur, vestri muneris est collectas vires dirigere ad repellendos impiorum conatus, qui favore freti potentium id agunt ut fas omne et sacrum delectant, simulque efficere ut conspirationi improborum constanter obsistat operosa fidelium concordia, unde omnia bona manant et ornamenta, quibus civilis cultus perficitur.

*Laudatur
societas ca-
tholicae ju-
ventutis,
cum hoc in-
stituto, cu-
jus auctrix
fuit, inti-
me conju-
cta.*

Haec vero eo promptius et alacrius a vobis geri par est, quod in hoc sustinendo certamine sociae vobis et auxiliares copiae non desint. Extant enim in Italia et aliae consociationes de re catholica optime meritae, quas inter meminisse lubet societatis quae a iuventute catholica nomen habet, quaeque, uti probe nostis, ultiro operam dedit ut vestra haec institueretur. Hanc autem necessitudinem quae iungit utramque eo libentius recolimus, quod huius recordatio eo valere debet ut socios utriusque studio incendat fraternalae retinendae inter se nec unquam defecturae concordiae. —

*Hæc con-
junctio vi-
res dupli-
cat utrius-
que.*

Sane nihil erit vobis honestius, aut spectatu iucundius, quam si videant homines dexteras invicem iungere ac prodire in aciem adversus instructos hostes iuventam animosam et virilitatem sollerter, sanctis coniunctas nexibus fidei et caritatis perfectae, quae non quaerit quae sua sunt sed quae IESU CHRISTI. Quod quidem facile erit eventurum si societas iuventutis catholicae, quae sui iuris et potestatis est,

*modo ju-
ventutis
societas sui
juris ma-
neat.*

statum suum, prout et Nos volumus, retineat ac libera utatur facultate agendi in iis omnibus quae propria eiusdem demonstrat statutum quo regitur; in aliis vero rebus

gerendis quae celsius eminent latiusque prospectant, ac fines potius contingunt, quos coetus vester sibi proposuit, conspiret amice vobiscum iuniorum societas, atque operam vobis praebeat adiutricem. Imo quum prospiciendum sit ut societati vestrae identidem fiat novarum virium et prope novi sanguinis accessio ne temporis decursu languescat, decet omnino ut praedicta societas, in quam cooptantur aetate minores, sodales suos quasi tirones paret et instruat, qui suppleant quandoque ordines vestros, et e classe iuniorum egressi receptique in coetum vestrum clarius dent specimen zeli et virilis animi in tuendis Ecclesiae rationibus.

Ad vos quod attinet, quo certius propositum vobis finem possitis assequi, lateque viribus explicatis largius effundere salutis fructus et paratores operiri futura certamina, nitamini oportet ut ratio instituti vestri quaquaversus porrecta ad omnes Italiae regiones pertineat, auspicio et ductu sacrorum Antistitum. Huc itaque incumbat industria vestra ut augescat sociorum numerus, ut alii comitatus excitentur, atque inter coetum vestrum et alias catholicae societates, quibus vos praeire decet in arduis inceptis, ea nectantur firmenturque vincula fraternalae et intimae coniunctionis quae duplicat vires, et optimi spiritus, quo sociati homines aguntur, illustre praebet argumentum. — Zeli demum et diligentiae vestrae munus erit comitatus sufficere in iis locis ubi aliae catholicae consociationes desunt et congregare iuniores in manipulos (quos sectiones dicunt) ubi vel nulli sunt eorum circuli, vel, iis licet extantibus, in aprico necessitas est validioris auxilii.

Interim ut Deus invicto hoc spiritu zeli et concordiae corda vestra persundat, tibi, dilecte fili, sociis tibi adsidentibus in comitatu generali permanenti, nec non omnibus qui praedicti conventus participes fuerint, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, ex intimo cordis affectu impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 9 Septembbris 1891,
Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

SEPT⁹
1891.

et eam
egressi
sodales rite
instructi
virorum
instituto
continuo,
cooptentur.

Auspicio
et ductu
Antisti-
tum, insti-
tutum con-
ventuum
magis ma-
gisque dis-
fundatur.

Zelo ca-
tholicorum
virorum
Pontifex
benedicit.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

ad Archiepiscopos et Episcopos aliosque

locorum ordinarios in imperio Germanico

et Austro-Hungarico.

DE PRAVA DUELLI CONSUETUDINE.

12
SEPTEMB.
1891.

*Antisti-
tum volis
obsecun-
dans Pon-
tifice de a-
bominenda
duelli con-
suetudine
dicere sta-
tuit.*

PASTORALIS officii conscientia et proximorum caritate permoti, datis ad Nos superiore anno litteris, referendum censuistis de singularium certaminum, quae *duella* vocant, in populo vestro frequentia. Genus istud dimicandi, velut ius moribus constitutum, non sine dolore significabatis etiam inter catholicos versari: rogabatis pariter, ut deterrire homines ab istiusmodi errore vox quoque Nostra conaretur. — Est profecto error iste admodum perniciosus, nec sane finibus circumscribitur civitatum vestrarum, sed excurrit multo latius, ita ut huius expers contagione mali vix ulla gens reperiatur. Quamobrem collaudamus studium vestrum, et quamvis cognitum perspectumque sit quid hac in re philosophia christiana, utique consentiente ratione naturali, praescribat, tamen, cum prava duellorum consuetudo christianorum praceptorum oblivione maxime alatur, expediet atque utile erit id ipsum per Nos paucis revocari.

*Utraque
lex divina,
naturalis
atque reve-
lata, haec
privata cer-
tamina
damnat,*

Scilicet utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant ne quis extra caussam publicam hominem interimat aut vulneret, nisi salutis suae defendendae caussa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant, vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario. Utraque porro divina lex interdit ne quis temere vitam proiiciat suam, gravi et manifesto obiiciens discrimini, quum id nulla officii aut caritatis magnanimae ratio suadeat; haec autem caeca temeritas, vitae contemptrix, plane inest in natura duelli. — Quare obscurum nemini aut dubium esse potest, in eos,

qui privatim praelium conserunt singulare, utrumque cadere et scelus alienae cladis, et vitae propriae discrimen voluntarium. Demum vix ulla pestis est, quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et iustum civitatis ordinem perverat, quam permissa civibus licentia ut sui quisque ad assertor iuris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor existat.

Ob eas res Ecclesia Dei, quae custos et vindex est cum veritatis, tum iustitiae et honestatis, quarum complexu publica pax et ordo continetur, nunquam non improbavit vehementer, et gravioribus quibus potuit poenis reos privati certaminis coercendos curavit. — Constitutiones Alexandri III decessoris Nostri libris insertae canonici iuris privatas hasce concertationes damnant et exsecrantur. In omnes qui illas ineunt, aut quoquo modo participant, singulari poenarum severitate animadvertisit Tridentina Synodus, quippe quae praeter alia, etiam ignominiae notam iis inussit, electosque Ecclesiae gremio, honore indignos censuit, si in certamine occumberent, ecclesiasticae sepulturae. — Tridentinas sanctiones ampliavit explicavitque decessor Noster Benedictus XIV in Constitutione data die 10 Novembris anno 1752, cuius initium *Detestabilem*. Novissimo autem tempore f. r. Pius IX in litteris Apostolicis, quarum est initium *Apostolicae Sedis*, per quas censurae latae sententiae limitantur, aperte declaravit, ecclesiasticas poenas committere non modo qui duello confligant, sed eos etiam quos patrinos vocant, itemque et testes et consios. — Quarum legum sapientia eo luculentius emicat quo ineptiora ea esse liquet quae ad immanem duelli morem tuendum vel excusandum solent proferri. Nam quod in vulgus seritur, certamina id genus natura sua comparata esse ad maculas eluendas, quas civium honori alterius calumnia aut convictionis induxit, id est eiusmodi ut neminem possit nisi recordem fallere. Quamvis enim e certamine victor decedat qui, iniura accepta, illud indixit, omnium cordatorum hominum hoc erit iudicium, tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacescentem probari, non ideo tamen honestate potiorem. Quod si idem

¹²
SEPTEMB.
1891.

necnon dis-
ciplina vi-
tae civilis.

Inde Eccle-
sia gravis-
simus pa-
nas in ea
ineuntes
decrevit,
nimurum
Alexander
III,

Triden-
tina syno-
dus,

Benedictus
XIV,

Pius IX.

Inanes
sunt ratio-
nes quibus
duellum
defendere
conten-
dunt.

Honoris
restitutio
prætextus
falsus;

ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absona haec honoris tuendi ratio videatur? Evidem paucos esse remur, qui hoc obeant facinus, opinionis errore decepti. Omnino cupiditas ultionis est, quae viros superbos et acres ad poenam petendam impellit: qui si elatum animum moderari, Deoque obtemperare velint qui homines iubet diligere inter se amore fraterno, et quemquam violari vetat, qui ulcisciendi libidinem in privatis hominibus gravissime damnat, ac poenarum repetendarum sibi unice reservat potestatem, ab immani consuetudine duellorum facile discederent.

*Ratio vero
damnabilis
est ultio-
nis cupidi-
tas.*

*Neque va-
let metus
vulgi se-
gnitiam ex-
probrantis.*

*Fallaciam
vulgi sper-
nendam
ipso ethni-
ci docuere.*

*Timere
vulgi opi-
nionem ve-
ra segni-
ties, spe-
nere virtus.*

*Qui bono
adhaeret,
ille vere
fortis est.*

*Recte igi-
tur in duel-
lum per le-
ges civiles
sevitum.*

*heu nimis
facile spre-
tas.*

Neque illis qui oblatum certamen suscipiunt iusta suppetit excusatio metus, quod timeant se vulgo segnes haberi, si pugnam detrectent. Nam si officia hominum ex falsis vulgi opinionibus dimetienda essent, non ex aeterna recti iustique norma, nullum esset naturale ac verum inter honestas actiones et flagitiose facta discriminem. Ipsi sapientes ethnici et norunt et tradiderunt, fallacia vulgi iudicia spernenda esse a fortis et constanti viro. Iustus potius et sanctus timor est, qui avertit hominem ab iniqua caede, eumque facit de propria et fratribus salute sollicitum. Immo qui inania vulgi aspernatur iudicia, qui contumelarium verbera subire manvant, quam ulla in re officium deserere, hunc longe maiore atque excelsiore animo esse perspicitur, quam qui ad arma procurrit, laccessitus iniuria. Quin etiam, si recte diiudicari velit, ille est unus, in quo solida fortitudo eluceat, illa, inquam, fortitudo, quae virtus vere nominatur, et cui gloria comes est non fucata, non fallax. Virtus enim in bono consistit rationi consentaneo, et nisi quae in iudicio nitatur approbantis Dei, stulta omnis est gloria.

Denique tam perspicua duelli turpitude est, ut illud nostrae etiam aetatis legumlatores, tametsi multorum suffragio patrocinioque fultum, auctoritate publica poenisque propositis coercendum duxerint. Illud hac in re praepostorum maximeque perniciosum, quod scriptae leges re factisque fere eludantur: idque non raro scientibus et silentibus iis, quorum est puniri sontes, et, ut legibus pareatur, providere. Ita fit ut passim ad singularia certamina descendere, spreta maiestate legum, impune liceat.

Inepta etiam atque indigna sapienti viro eorum est opinio, qui utut togatos cives ab hoc genere certaminum arcendos putent, ea tamen permittenda censem militibus, quod tali exercitatione acui dicant militarem virtutem. Primum quidem honesta et turpia naturâ differunt, nec in contraria mutari ob diversum personarum statum ullo pacto possunt. Omnino homines, in quacumque conditione vitae, divina ac naturali lege omnes pari modo tenentur. Praeterea ratio huiusce indulgentiae erga milites ab utilitate publica petenda foret, quae nunquam tanta esse potest, ut eius obtentu naturalis divinique iuris vox conticescat. Quid, quod ipsa utilitatis ratio manifesto deficit? Nam militaris virtutis incitamenta eo spectant ut civitas sit adversus hostes instructior. Idne vero effici poterit ope illius consuetudinis, quae suapte natura eo spectat ut suborto inter milites dissidio, cuius causae haud rarae sunt, e singulis partibus defensorum patriae necetur alteruter?

Postremo recens aetas, quae se iactat humaniore cultu morumque elegantia longe superioribus saeculis antecellere, parvi pendere vetustiora instituta consuevit ac nimium saepe respuere quidquid cum colore discrepet recentioris urbanitatis. Quid est igitur quod has tantummodo rudioris aevi ac peregrinae barbariae ignobiles reliquias, duelli morem intelligimus, in tanto humanitatis studio non repudiat?

Vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec, quae breviter attigimus, inculcare diligenter populorum vestrorum animis, ne falsas hac de re opiniones temere excipiant, neu ferri se leviorum hominum iudicio patiantur. Date operam nominatim ut iuvenes mature assuescant id de duello sentire et iudicare quod, consentiente naturali philosophia, iudicat ac sentit Ecclesia; ab eoque iudicio normam agendi constanter sumant. Immo quo modo alicubi receptum consuetudine est ut catholici praesertim florentis aetatis sibi sponte perpetuoque interdicant nomen dare societatibus non honestis, pari modo opportunum ducimus ac valde salutare, eosdem velut foedus inter se facere, data fide nullo se tempore nullaque de caussa duello dimicatueros.

Suplices a Deo petimus ut communia conata nostra

¹²
SEPTEMB.
1891.

Damnan-
dum duel-
lum in mi-
litibus &
que ac in
togatis.

Manet in-
honestas in
re,

utilitas
publica
nullo modo
excusat, e
contra.

Pugnat
duellum
cum huma-
niore cultu
presentis
etatis.


Stimulat
Pontifex
zelum An-
tistitum, ut
hanc do-
ctrinam in
mores indu-
cant, pre-
sertim ju-
venum.

Probat in-
ter juvenes
fœdus de
non ineun-
do duello.

virtute caelesti corroboret, quodque pro salute publica, per integritate morum vitaeque christianaे volumus, id benigno largiatur. Divinorum vero munerum auspicem itemque benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino imperimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 12 Septembbris 1891,
Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.



APPENDIX

BREVE

quo D. Joann. Jos. Faict, Episcopus Brugensis,
recurrente anno a suscepto episcopatu XXV,
sacri Pallii honore augetur.

16
JULII
1889.

ROMANI Pontifices, quibus, utpote Beati Petri Apostolorum Principis successoribus, demandatum divinitus est universae Ecclesiae regimen et procuratio, et quibus propterea ius est Ecclesiasticis viris honoris insignia impertiendi, Pallii ornamentum Archiepiscoporum proprium, nedum Archiepiscopis ipsis iuxta adhibitam ab eisdem de huiusmodi re postulationes concedere solent, sed vere aliquando etiam Episcopis, si iustae gravesque caussae id suadere videantur. Et sane S. Gregorium Magnum Episcopo Augustodunensi, S. Leonem IX Episcopo Bambergensi, recentiori aetate Benedictum XIV Herbipolensi Episcopo, et Pium IX Decessorem nostrum Episcopis Tridentino et Wladislaviensi Pallii honorem concessisse constat. Iam vero cum probe noverimus, Te, Venerabilis Frater, de commissi Tibi gregis salute dies noctesque cogitantem, nulli deesse boni Pastoris officio, in quo vera Episcopi laus continetur, et insideat animo Nostro tuorum de tua Dioecesi meritorum recordatio, singulare Tibi propensae in Te voluntatis Nostrae testimonium exhibendum censuimus. Quae cum ita sint, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo, vel quavis de caussa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore centes, Tibi, Venerabilis Frater, personalem Pallii usum in sollemniis per Sacros Canones prescriptis, et in Dioecesi tantum Brugensi, et non alibi, Auctoritate Nostra Apostolica concedimus et indulgemus. Quapropter idem Pallium, Pontificalis officii insigne, de corpore Beati Petri sumptum, a quocumque quem malueris

*Recoluntur
exempla u-
sus Pallii
Episcopis
concessi.*


*Ob insignia
sua merita
Brugensis
Presul
Pallio deco-
ratur,*

*pastoralis
muneris
symbolo.*

Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente excipiendum, Tibi, Venerabilis Frater, destinavimus: ac volumus, ut ipse Antistes Tibi illud assignet iuxta formam praescriptam, quam idcirco una cum Nostris hisce Litteris transmitti mandavimus, pariterque volumus, ut idem Antistes a Te, Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debitae solitum accipiat iuramentum, iuxta formam pariter definitam et una cum hisce Litteris transmittendam. Ceterum non est cur moneamus Te, Venerabilis Frater, in Pallio ex ovium lana contexto ovem designari, quam bonus Pastor oberrantem suis impositam humeris in ovile reduxit, et inde Episcopum admoneri omnem sibi dandam esse operam, ut, ad boni Pastoris exemplum, dearrantes sui gregis oves, luporum praeda ne fiant, ad Christi caulas traducat. Id concedimus atque indulgemus, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XVI Iulii MDCCCLXXXIX, Pontificatus Nostri Anno Decimo secundo.

Pro Domino Card. Ledochowski.

F. ARCHIEPUS SELEUCIEN. SUBSTUS.



EPISTOLA

ad Archiabatem Beuronensem D. Placidum
Wolter, O. S. B., de laudibus defuncti fratris
Mauri, eiusdem Congregationis Fundatoris.

SUMMA erga Nos studia tua tam apte vidimus explicata litteris quas die VIII Idus Augusti ad Nos dedisti, ut iis magnopere delectaremur. Profecto ita Nos animo comparatos eae litterae nactae sunt, ut earum Nobis futura esset acceptio gratissima et lectio iucunda. Eas siquidem maiorem in modum commendabat cum perspectus erga Nos animus religiosae familie tuae, tum benevolentia singularis qua non modo ipsam complectimur, sed universum Ordinem, qui S. Benedicti nomine gloriantur legiferi conditoris sui. Hunc enim Ordinem semper plurimi fecimus, tanquam per insigne Ecclesiae ornamentum, adeoque rationibus eius et decori (quod pro re nata pluries testati sumus) favemus impense. Gaudemus porro Te in capessenda cura collati muneric exemplum Tibi proposuisse defunctum fratrem tuum, qui tum eximia pietate, studio monasticae disciplinae et instituti, cui nomen dederat, amplificandi enituit, tum ingenii et doctrinae laude. praeclarisque operibus ad animarum salutem susceptis, Nobile hoc propositum tuum laetam Nobis spem facit, Te in novo officio obeundo non minus potestatis eius dignum heredem fore, quam virtutum ac meritorum. Quod ut cumulate praestare valeas, atque ut maioribus in dies incrementis, Te praesule, Beuronensis Congregatio floreat, large copioseque dari Tibi ad preciam gratiae coelestis munera, et Apostolicam Benedictionem Tibi et sodalibus quibus praees universis et singulis per amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Augusti anno MDCCCXC.

Pontificatus Nostri decimo tertio
LEO P. P. XIII.

¹²
AUG.
1890.

*Pontifex
grates re-
pendit pro
acceptis lit-
teris, eas-
que laudat.*

*Amorem
suum sin-
gularem
erga meri-
tissimum
S. Benedi-
cti Ordin-
em testa-
tur.*

*Memoriam
celebrat de-
functi fun-
datoriis
Congrega-
tionis Beau-
ronensis,*

*Votaque
facit, ut ve-
stigiis illu-
stribus fra-
tris, succe-
sor ejus di-
gne adhæ-
reat.*

FINIS QUARTI VOLUMINIS.

ELENCHUS DOCUMENTORUM.

Constitutio Pastor Aeternus.

	Pag.
1. Litterae Apostolicae <i>Vicariam potestatem Eius</i> , 1 Jan. 1890...	1
2. Litt. Encycl. <i>Sapientiae christianaæ</i> , 10 Jan. 1890	6
3. Litt. Apost. <i>Quod paucis abhinc mensibus</i> , 18 Jan. 1890	28
4. Epistola <i>In mezzo al profondo</i> , 15 Feb. 1890...	30
5. Epistola <i>Quod tuae Nobis</i> , 19 Feb. 1890...	32
6. Allocutio <i>Riceva il Sacro Collegio</i> , 2 Mart. 1890.	34
7. Lettera <i>Noi rendiamo</i> , 14 Mart. 1890.	37
8. Epistola <i>Quod tua in Nos</i> , 15 Mart. 1890.	40
9. Epistola <i>Cum huic opportuna tempori</i> , 20 Mart. 1890... ...	42
10. Epistola <i>Rem magni discriminis</i> , 20 April. 1890.	44
11. Allocutio <i>La vostra presenza</i> , 20 April. 1890.	48
12. Allocutio <i>Utique feliciter contigit</i> , 8 Maii 1890... ...	51
13. Litt. Apost. <i>Etsi apud nobilissimam Lusitanorum</i> , 3 Jun. 1890.	53
14. Epistola <i>Graviter molesteque</i> , 3 Jun. 1890	55
15. Allocutio <i>Priores curas Nostras</i> , 23 Jun. 1890	57
16. Epistola <i>Armeniam gentem</i> , 29 Jun. 1890.	60
17. Litt. Apost. <i>Sapienti consilio</i> , 8 Jul. 1890.	63
18. Epistola <i>Mirifice delectati</i> , 17 Jul. 1890...	65
19. Epistola <i>Graviter admodum</i> , 17 Jul. 1890	68
20. Epistola <i>Ignota tibi sollicitudo</i> , 7 Aug. 1890.	71
21. Epistola <i>De societate ista vestra</i> , 8 Aug. 1890	73
22. Epistola <i>Litteras abs te proxime accepimus</i> , 7 Sept. 1890. ...	74
23. Litt. Encycl. <i>Dall' alto dell' Apostolico seggio</i> , 15 Oct. 1890..	77
24. Epistola <i>Volenti laetoque animo</i> , 24 Oct. 1890... ...	92
25. Epistola <i>Fieri non poterat</i> , 3 Nov. 1890	95
26. Litt. Apost. <i>Religiosus Ordo Benedicti Patris</i> , Pridie Idus Nov. 1890...	97
27. Epistola <i>Suavissime affecti</i> , 14 Nov. 1890.	109
28. Epistola <i>Catholicae Ecclesiae</i> , 20 Nov. 1890.	112
29. Litterae <i>Novum argumentum perspecti</i> , 20 Nov. 1890. ...	117
30. Epistola <i>Redditæ mihi sunt litteræ</i> , 28 Nov. 1890. ...	119
31. Litt. Apost. <i>In supremo</i> , 15 Dec. 1890.	122
32. Litt. Apost. <i>Semper eternam dominici gregis</i> , 16 Dec. 1890... ...	126
33. Decretum <i>Quemadmodum omnium</i> , 17 Dec. 1890... ...	134
34. Epistola <i>Dignum pietate et prudentia</i> , 23 Dec. 1890	138
35. Allocutio <i>Augurio più bello</i> , 23 Dec. 1890	148
36. Litt. Apost. <i>Opportune quidem et auspicato</i> , 1 Jan. 1891... ...	143
37. Epistola <i>Comperimus libenter</i> , 10 Jan. 1891... ...	146
38. Epistola <i>Praeclarum studium</i> , 10 Febr. 1891	148

	Pag.
39. Allocutio <i>Si è compiuto</i> , 2 Mart. 1891.	151
40. Epistola <i>In ipso supremi Pontificatus</i> , 3 Mart. 1891	154
41. Litt. Apost. <i>Quod erat maxime optandum</i> , 3 Mart. 1891 ...	160
42. Litt. Apost. <i>Gratus quidem et iucundus Nobis</i> , 4 Mart. 1891...	162
43. Epistola <i>Benevolo libentique animo</i> , 7 Mart. 1891... ...	164
44. Motu-Proprio <i>Ut mysticam Sponsam Christi</i> , 14 Mart. 1891...	165
45. Epistola <i>Quum gratae semper Nobis</i> , 16 Mart. 1891 ...	170
46. Epistola <i>Summa animorum coniunctio</i> , 19 Mart. 1891.. ...	172
47. Epistola <i>Gratissimum</i> , 5 Maii 1891	174
48. Litt. Encycl. <i>Rerum novarum</i> , 15 Maii 1891.	177
49. Epistola <i>Inter graves ac multiplices</i> , 23 Maii 1891.. ...	210
50. Epistola <i>Quae Nobis</i> , 23 Maii 1891	213
51. Litt. Apost. <i>In hoc diuturno crudelique</i> , 25 Maii 1891... ...	215
52. Allocutio <i>Nihil est opus</i> , 1 Jun. 1891	217
53. Litt. Apost. <i>Cum Nobis Romanorum Pontificum</i> , 12 Jun. 1891.	220
54. Litt. Apost. <i>Non maius Nobis</i> , 15 Jun. 1891...	222
55. Litt. Apost. <i>Illud in primis</i> , IX Kal. Jul. 1891... ...	232
56. Epistola <i>Pastoralis vigilantiae</i> , 25 Jun. 1891... ...	245
57. Epistola <i>Cognovimus ex litteris tuis</i> , 11 Jul. 1891... ...	252
58. Litt. Apost. <i>Optimae quidem spei</i> , 21 Jul. 1891... ...	254
59. Epistola <i>Singulari cum benevolentia</i> , 8 Sept. 1891... ...	257
60. Epistola <i>Mirifice Nos</i> , 9 Sept. 1891	262
61. Epistola <i>Pastoralis officii</i> , 12 Sept. 1891..	266

APPENDIX.

<i>Breve Romani Pontifices</i> , 16 Julii 1889.	271
<i>Epistola Summa erga Nos</i> , 12 Augusti 1890	273



INDEX ANALYTICUS

	Pag.
1. LITTERÆ APOSTOLICÆ, de collegio clericorum Bohemorum in Urbe condendo. — 1 Januar. 1890	I

Munere supremo fungens, Pontifex de instituendo clero sollicitus, præsertim de collegiis variarum nationum Romæ condendis, auxiliantibus Cardinali Archiep. Pragensi et Imperatore Austriæ, Regeque Bohemiæ, collegium Bohemorum, in privata domo inchoatum, in ædes ad S. Franciscæ Romanæ suis sumptibus translatum, spe eximiæ juventutis ductus, necnon totius Bohemiæ votis obsecundans, canonice erigit 1-2. — Bohemiæ Episcoporum cura sit eodem ad summum triginta alumnos egregios mittendi 3. — Ratio studiorum atque morum instructionis hujus collegii describitur 3. — Ordinandi alumni a communi canonum lege eximuntur 3-4. — *Collegium Urbanianum* pro norma habeatur novi collegii 4; — quod Bohemiæ Antistites regent, per moderatorem ab eisdem propoundendum, a summo vero Pontifice instituendum, Huic singulis annis regiminis rationem redditurum 4. — Adsit protector, necnon magister pietatis 4. — Annua subsidia collegio Bohemorum munificentia Romani Pontificis assignantur 5. — Coeterum liberalitas Bohemiæ tam salubri operi non defuerit 5.

2. LITTERÆ ENCYCLICÆ, de præcipuis civium christianorum officiis. — 10 Januar. 1890.	6
---	---

Posthabita sapientia christiana omnia mala imminent 6. — Progressio in ordine materiali, etsi hoc tempore ingens, hominem ad finem suum, Deum nempe cognoscendum atque amandum, ducere nequit 6. — Idem valet de societate 6. — Quare societas externa provehens, sed religionem negligens, non vera societas habenda est 6. — Hodie, quo magis crescit cura rerum corporalium, eo minor fit religionis sollicitudo 7. — Inde injuriæ fidei christianæ publice illatae 7. — Inde discrimina hominum, civitatumque 7. — Vim ordini tuendo absque religionis vinculo imparem esse, graves jam casus docuere 7. — Quare, ut redeatur tum in privata vita, tum in publica ad christianam sapientiam, his Litteris Pontifex officia catholicorum describere intendit 7.

Catholici, fide suscepta, Ecclesiæque per ipsam subditi, officia sibi propria suscepere 8. — Uti civis terrenam patriam, ita, imo magis, catholicus Ecclesiam diligere debet, patriam cælestem, in terris peregrinantem 8. — Uterque amor a Deo auctore est, ideoque nequit alter cum altero pugnare 8. — Pugnant tamen aliquando, dum, ex culpa reipublicæ rectorum, ordo inter utrumque pervertitur 8-9. — Quibus in casibus Deo obediendum magis quam hominibus 9. — Hæc nullo modo seditio est 9. — Nam deest reipublicæ legitima potestas

ad jubendum quod est contrarium rationi divinæ et summo bono 9. — Civilem auctoritatem, ut a Deo, catholicus veretur, usque dum non contradicit auctoritati divinæ 9-10. Nulla proin seditio, quum nulla ibi possit esse vera lex 10. — Ita docent principes Apostolorum 10. — Maximum christianorum officium est utramque patriam debito ordine diligere 10.— Teste JESU CHRISTO, veritas et caritas sunt nobilissimum redemptorum patrimonium 10. — Contra Ecclesiam vertuntur ipsæ progressiones scientiarum 11.— Superbia decepti, homines omnia ad meram humanam naturam contrahere volunt, semoto Deo et Ecclesia 11.—Sit proin catholicus religione sua rite imbutus, fidemque suam augere studeat 11.

Imo quisque paratus sit ad fidem quovis modo defendendam 12. — Dimicatio pro Ecclesia est Christianorum lex et gloria 12.— Fidem profiteantur et propagent 12-13. — Veritas christiana rite exposita assensum rationi postulat 13.— Prædicatio hæc necessaria 13. — Magistris primario incumbit ; sed secundario quoque privatis fidelibus, quorum opera perutilis teste concilio Tridentino 13.— Quisque exemplo et constantia fidem prædicare tenet 13.

Sed et requiritur in certamine concordia 14. — Christus ad debellandos doctrinæ suæ hostes, Ecclesiam, ad modum corporis, cuius esset ipse caput, instituit 14. — Hæc societas perfecta exigit actionem communem in membris 14. — Primo adsit concordia sententiarum, de qua Paulus 14. — Principium agendi mens 14. — Hujus sibi relictæ defectus, accendentibus cupiditatibus, concordiam perdifficilem in naturalibus reddit 15. — At christiano unus Dominus, una fides 15. — Hæc unanimitas perfecta esse debet, quum unico fundamento nitatur, nempe divinæ rationis auctoritate 15. — Quid autem hæc auctoritas revelet, Ecclesia docet 15. — Ecclesiæ docenti obedientia aut perfecta aut nulla 16. — Praeclarus affertur locus D. Aquinatis, de unitate fidei totius Ecclesiæ, ad mentem Pauli 16. — Hæc obedientia fidei complectitur, præter dogmata expresse diffinita, doctrinas universales et ordinarias Ecclesiæ ; insuper respicit regimen Episcoporum et imprimis Sedis Apostolicæ 16-17.— Ecclesia, societas perfecta, comprehendit omnes nationes 17.— Regit proin subditos, civili propriæ nationis potestati alia ratione subditos 17. — Ecclesia rectores civitatum, imponendo legem ipsis parendi, adjuvat 17.

Sed quod ad spiritualia pertinet sibi soli vindicat 17-18. — Multum interest inter utramque rempublicam 18. — Ecclesia, societas perfecta, sed altior, non se immiscet partibus politicis, neque determinat formas civilis regiminis 18. — Ecclesiam in hoc imitantes, catholici ad partes Ecclesiam ne trahant, et ad defensionem religionis, omni inter se seposito dissidio, convolent 18. — Utraque societas in suo ordine principatum tenet 19. — Civis jus habet ut a civili potestate adjuvetur, non solum ut bene sibi esse liceat, sed ut morum

perfectionem, quippe per veram religionem, attingere possit 19. — Leges proin civiles ordinem moralem respicere debent 19. — Unde Ecclesia nequit patrocinari malos legislatores, sed fovere eos debet quos æquius civili potestate usurpos prævidet 19-20.

Ita et catholici agant oportet 20. — Consensus animorum necessarius ad fallendas insidias hostium Ecclesiæ; quod experientia, ex defectu concordiae atque virtutis bonorum, malorum audacia crescens docuit 20.— Res catholicas recturi fugiant simul falsam prudentiam ac temeritatem 20. — Prudentia carnis describitur 20. — Quam nociva sit causæ christianæ ostenditur 21. — Non secus ac falso prudentes, increpandi sunt, qui partes magistrorum sibi temerarie et contentiose assumunt 21. — Optime certe qui strenue quidem, sed ut milites ducibus parentes, in certamen descendunt 21-22. Commendatur hæc virtus indeficiens, prudentiae spiritus conjuncta 23. — Politica prudentia bonum commune prospiciens, in Ecclesia imprimis Romanum Pontificem respicit, dein Episcopos; qui ordo ab omnibus servetur oportet 22-23. — Antistites judicare non privatorum est sed supremi Pastoris 23.— Citatur Gregorius magnus 23.— Summum remedium esse in reditu ad virtutes christianas, exemplo populi Judaïci aperte constat 23.

In poenam degenerantium Christianorum maxima mala civitatibus imminent 23-24.— Quæ mala, cura hominum haud deflectenda, a solo misericordi Deo humiliter exorato depelli poterunt, et a virtutibus christianis redivivis 24.— Imprimis instauretur caritas: caritas nempe Dei conjuncta cum caritate proximorum 24. — Commendatur mandatum *novum* caritatis fraternaliæ, a primis christianis mire servatae, hodie summe necessariae 25.— Monentur patresfamilias, ut educandorum christiane liberorum sedulo operam suscipiant 25.— Qualis esse debeat ista institutio 25-26.— Commendantur catholici qui scholas proprio sumptu paravere 26. — Stimulatur zelus Antistitum 26. — Apostolica benedictio impertitur 27.

- 3. LITTERÆ APOSTOLICÆ, de festo S. Iosephi in Hispania regionibusque ei subiectis restituendo. — 28 Januar. 1890... 28**

Inter fructus e recenti Encyclica perceptos Pontifex salutat Hispaniæ catholicæ postulationes de instaurando publice festo S. Iosephi 28. — Tituli ad hunc cultum commendantur specialissime pro Hispania, S. Teresiæ, eximiæ S. Josephi cultricis, patria 28. — Ratas habens hasce postulationes Pontifex sancit festum 19 martii per totam Hispaniam diebus festis accensemendum 29.

- 4. EPISTOLA ad Cardinalem Rampolla, de morte fratris Iosephi Cardinalis. — 15 Februar. 1890... 30**

- Pontifex recolit multiplica affectus condolentis testimonia sibi undique exhibita in morte dilectissimi fratris 30. — Cum Societate Jesu, partes præcipuas huic luctui Roma habuit 30. — Publice se gratum Pontifex testatur 30. — Vota facit pro anima defuncti 30.
- 5. EPISTOLA ad Cardinalem Benavides et Navarrete Archiepiscopum Cæsaraugstanum. De Catholcorum conventu Cæsaraugstæ habendo. — 10 Februar. 1890 ... 32**
- Pontifex laudat propositum celebrandi novi conventus, simulque recolit conventum Matriti anno superiore habitum 32. — Vota facit, argumenta retractanda probat, Episcopos, imprimis cardinalem Præsidem, ut sapienter conventum regant, hortatur 32. — Fructus princeps colligendus sit concordia bonorum in tuenda Ecclesia 33. — Pontifex premit catholicos ut tandem, monitis parentes suis, steriles discordias ponant 33. — Optatissimam hanc concordiam zelo præsulum instanter commendat 33.
- 6. ALLOCUTIO ad S.R.E. Cardinales. De officio summi Pontificis. — 2 Mart. 1890 34**
- Pontifex vota Sacri Collegii gratae excipiens, vitam suam Deo devovet ad pugnandum pro Ecclesia undique oppugnata 34. — Thesauros catholicæ doctrinæ societati summe profuturos sperat 34. — Mentes hominum a veritate aversas dolet 35. — Catholica doctrina, nedum obsit progressui humanæ societatis, ipsum summopere tuetur 35. — Quare, quidquid calumniantur hostes, a prædicando verbo salutis nunquam desistet 35. — Utinam rectores civitatum saperent, Ecclesiamque iuvarent 36. — Sacro Collegio benedicit 36.
- 7. LITTERA ad Gulielmum II, Imperatorem Germanæ, de conventu Berolini habendo ad deliberandum de conditione opificum. — 14 Mart. 1890 37**
- Pontifex Imperatori gratias agit de invitante se epistola, deque consilio salutari ab ipso inito 37. — Recolit quæ ipse in eodem ordine egerit, dixerit 37. — Ad quæsumum solvendum, quum multa utiliter statui possint a potestate civili, eadem lætanter se probaturum declarat 37-38. — Sed insuper, teste ipso Imperatore, declarat adhibenda remedia a religione petita, necnon ab Ecclesia 38. — Rationem hujus asserti exponit 38. — Quid possit ad hunc finem Ecclesia libertate pollens ostendit 38. — Vota faciens pro felici successu conventus, gaudet Episcopum Breslaviensem eidem interfuturum 39.
- 8. EPISTOLA ad presb. Sarda y Salvany, directorem ephemericis « Revista popular ». De ratione scriptoribus ephemericis servanda. — 15 Mart. 1890 40**
- Pontifex gratias agit scriptori de votis transmissis cum mu-

- nere, deque zelo luculenter expresso 40. — Scriptoribus ephemeridum commendat spiritum concordiae, obedientiam Sedi Apostolicæ atque Episcopis 40. — Graviter dolet et reprobat aliter nonnullos se gessisse 40. — Invitat scriptorem ut commendet lectoribus conventum Cæsaraugustæ proxime habendum, a quo multum pro concordia sperat 41.
- 9. EPISTOLA ad Episcopum Orgeliensem. De sedando discordiarum studio. — 20 Mart. 1890** 42
 Pontifex commendat opportunam epistolam nuper ab Episcopo Orgeliensi de studio concordiae ad clerum gregemque datam 42. — Agendi ratio discordiae amatorum gravissime notatur 42. — Non religionis sed alterius rei studium foventes, lucem oderant cæci cæcorum duces 42. — Inter quos dolendum est quosdam ecclesiasticos et religiosos viros, inscios forsitan, reperiri 43. — Valde inde commendat Pontifex zelum Præsulis Orgeliensis, cuius opus præcellens optat fore perutile ad revocandos animos discordiarum æstu laborantes 43.
- 10. EPISTOLA ad Philippum Archiepiscopum Colonensem. De quæstione sociali, deque missionibus Africanis. — 20 April. 1890.** 44
 Pontifex sese quæstioni sociali maxime proficitur sollicitum 44. — Ad hanc solvendam potiores partes Ecclesia agitquippe cui Evangelium commissum est, omnia jura ac officia perfecte complectens 44. — Germani Antistites hujus veritatis plane consciæ, adlaborent certatim, ut greges ad normam Christi vitam degant, ut servatis justitia et caritate, molestiae inopibus minuantur, divitibus fraternus animus acuatur 45. — Germanorum zelus et opera laudantur; quæ optatur ut foventur et crescant 45.
 Sed et eruditioni barbarorum sollicita est Ecclesia, impri-
 mis nunc Africam incolentium 46. — Zelus Germaniæ catholicae aperto sibi campo non desit 46. — Condatur institutum ad instar collegii Belgici pro regionibus Congi 46. — Collatis consiliis Germanorum Antistitum hoc argumentum instanter commendatur v7.
- 11. ALLOCUTIO ad cives Italos magna frequentia ad patrem convolantes. De officiis Italorum catholicorum. — 20 April. 1890** 48
 Amoris signa ab Italis accepta gratissima sibi Pontifex declarat 48. — Mæstus enumerat mala Ecclesiam in Italia opprimentia vel ei minitantia 48. — Ingravescente bello catholici Itali strenue partes Ecclesiæ tueantur 49. — Gratulatur peregrinantibus 48. — Religionem tutando optime inserviunt patriæ 49. — Ubi sint veri Italiæ amici ostendit 50. — Quare Itali fideles, consiliis nuper a se datis obtemperent, venerabilem Luxago imitati 50. — Libertatem S. Sedis strenue vindicent 50.

	Pag.
12. ALLOCUTIO ad fideles Germanos Romam peregrinantes. — 8 Maii 1890	51
<p>Pontifex laudes celebrat Gregorii magni, cuius operis hæredes sunt Pontifices Romani 51. — Munus hoc salutiferum repudiari ab hominibus queritur 51. — Gaudet res Germanorum in meliora conversas 52. — Sperat mox apud ipsos plenam Ecclesiæ libertatem futuram 52. — Laudat pietatem peregrinorum, eisque benedit 52.</p>	
13. LITTERÆ APOSTOLICÆ de festo S. Iosephi in Lusitania regionibusque ei subiectis restituendo. — 3 Junii 1890	53
<p>Pontifex lætatur Encyclicas suas litteras de cultu S. Josephi in Lusitania tulisse fructum 53. — Votis Antistitum et populorum obsecundans, festum almi Patriarchæ antiquo juri restituit, intuitu cultus specialis quo a Lusitanis honoratur, uberisque boni inde orituri 53. — Sit igitur, ut olim, dies 19 martii per Lusitaniam regionesque ei subjectas festum de præcepto 54.</p>	
14. EPISTOLA ad Petrum Iosephum Episcopum Viglevanensem. — 13 Junii 1890	55
<p>Dolet Pontifex de gravi injuria præsuli Viglevanensi a potestate laica irrogata 55. — Eamdem tamen Ecclesiæ profuturam sperat, concilia impiorum reserando 55. — Hortatur Episcopum, ut priorum temporum memor, animo inconcusso stet 55.</p>	
15. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales. De confirmanda electione Patriarchæ Maronitarum Antiocheni. — 23 Junii 1890	57
<p>Pontifex celebrat nationem quæ Montem Libanum tenet 57. — Narrat electionem novi Antiocheni Maronitarum Patriarchæ 57. — Postulantibus Episcopis atque ipso electo, de sententia Consilii fidei propagandæ, electionem sanandam probandamque censet, electumque pallio decorandum; deinceps præscripta synodi Libanensis 1736 melius servanda 58. — Tres novi cardinales creantur 59.</p>	
16. EPISTOLA ad Patriarcham Ciliciæ et Episcopos Armenii ritus Rom. Sed.conjunctos. De proxime habendo Patriarchali Armen. Synodo. — 29 Junii 1890 ...	60
<p>Zelum suum pro illustri Armenorum Ecclesia Pontifex testatur 60. — Lætatur de proximo habendo synodo patriarchali 60. — Fructus ab eo sperandos describit 60. — Monita præcipua conventuris dat 61. — Zelum Episcoporum Armeniæ stimulat 61. — Omnia ab oratione expectanda 61.</p>	
17. LITTERÆ APOSTOLICÆ. De collegio scriptorum commentariorum « la Civiltà cattolica ». — 9 Julii 1890 ...	63

Scriptores « *Civiltà cattolica* » a Pio IX in collegium constitutos Pontifex recolit 63. — Fructus inde perceptos probans, confirmat idem collegium, illudque immediate Præposito S. J. subesse vult 63. — Rationem studiorum ipsi præscribit, imprimis quoad doctrinam S. Thomæ, jam præclare ab his scriptoribus illustratam 64. — Fructus annuus ex hoc labore perceptus Collegio et provinciis Italicis S. J. præscribitur applicandus 64.

- 18. EPISTOLA ad Cardinalem Lavigerie. De cultu humaniore Africæ. — 17 Julii 1890** 65

Lætatur Pontifex per missionarios Algerienses Africæ cultum progredi 65. — Laudat intrepidos viros, necnon principes barbaros ipsis faventes 65. — Laudat insuper acta in conventu Bruxellensi, cuius præclara studia sibi specialissime cordi esse testatur 65-66. — Sed imprimis ut augeatur numerus præconum salutis optandum 66. — Verus miles Evangelii describitur 66. — Zelum Cardinalis Pontifex stimulat 67. — Laudat certamen institutum, in quo optimi auctor operis de servitute agentis præmio donetur 67. — Prima tamen ipse Pontifici in cælesti ope, cuius auspicem, suam benedictionem impertit 67.

- 19. EPISTOLA ad Archiepiscopum Rhodiensem, Episcopum Melitensem, qua vindicatur conventio cum Anglia inita. — 17 Julii 1890** 68

Contumeliam Pastori factam esse queritur Pontifex, atque documenta non vulganda, in publicum edita, populares animos turbasse 68. — Melitensis populi laudat indolem, ingenium, recentia vota 68. — Eo magis damnandæ inimici hominis insidiæ 69. — Romani Pontifices, teste historia, bonum populorum semper procurarunt, præsertim religiosum, sibi commissum 69. — Conventionem nuper cum Britannico gubernio initam ad sanum judicium revocat 69. — Cleri institutionem ad mentem S. Sedis Præsuli commendat 70. — Cleri similis, populus concordiam diligat, matrem Ecclesiam colat atque defendat 70.

- 20. EPISTOLA ad Episcopum Leodiensem de tertio Leodii habendo sociali conventu. — 7 Aug. 1890..** 71

Pontifex læte accepit nuntium novi conventus socialis Leodii mox habendi 71. — Gaudet quæstionem de æqua laborum mercede specialissime ibidem ad mentein Sedis Apost. esse retractandam 71. — Openi Dei congressuris optat eisque benedit 71.

- 21. EPISTOLA ad Maximilianum Zara praesidem, sodalesque societatis Paullianæ. — 8 Aug. 1890** 73

Pontifex societatis Paullianæ laudat incrementum, consilium, fructus, ejusque stimulat zelum.

22. EPISTOLA ad Cardinalem Manning, Archiepiscopum Westmonasteriensem de rebus Hibernis et Melitensibus. — 7 Sept. 1890. 74

Pontifex pro acceptis litteris gratias agit 74. — Queritur Romani Pontificis acta ab inimicis in deteriore partem accepta 74. — Recolit quid et quo animo in rebus Hiberniae nuper egerit 74. — Item recolit qualis de rebus Melitensibus cum Britanniae Regina conventionem inierit 75. — Quum opiniones falsae de Romano Pontifice, stimulante odio, tenaces sint, prudentiae et gratiae Cardinalis confidit, ut veritas mox superet calumnias 75.

23. LITTERÆ ENCYCLICÆ ad Episcopos, clerum, populum Italiæ. De bello Ecclesiæ in Italia illato. — 15 octobr. 1890 77

Ad Sedem Apost. evectus, Pontifex dolet non proprios labores, sed ruinam fidei Italiæ minitantem 77. — Iterum vocem attollit, ut de periculo gregem moneat 77. — E factis non novis sed ordine congestis scopum hostium Ecclesiæ eruet, præsertim sectarum massonicarum 78. — Principatu civili Pontificum violato, in ordines religiosos sævitum; clerus militari cingulo adstrictus; patrimonium ecclesiasticum direptum; religio a publica vita exsul, in privata frustratur per civile matrimonium, et laicam, uti aiunt, disciplinam scholarem 78-79. — Securis ad radicem missa 79. — Quæ omnia non ideo minus odiosa quia aliis in nationibus sæviunt 80. — Nullibi tam acriter urgentur quam in nova Italia, stimulus agente secta tenebricosæ 80. — Testes sint novus codex legum, lex de operibus piis, signum apostatae flagitiose erectum, oratio nuper a principe gubernantium publice habita 80-81. — Ex his quæ jam perpetrata sunt, licet conjicere quanta mala adhuc Italiæ a secta immineant 81. — Citantur vota in massonicis conventibus emissæ 81. — Hæc non celare sed strenue deprecari Pastoris est 82. — Solemnibus verbis Pontifex contra tanta scelera protestatur 82. — Deo fisus bonorum zelum stimulat ad omnia media contra communem hostem adhibenda 83. — Populus de imminenti periculo sedulo instruatur, ut pro fide timens, fortiter impiis resistat 83. — Prodant credentes virtutem conscientia debiti sacri ortam 84. — Pastoribus uniti, segregent se prorsus a sectis, operibus bonis devoti 84. — Ephemeridibus, omnisque generis scriptis, impia scripta obtundant 84. — Litteris nostris imbuti, scient aliquid pro nomine Christi tolerare 84. — Religionis inimicæ, res Italiæ bono sociali et politico æque adversantur 85. — Imminuti mores, ordo turbatus, opes dissipatae: en sectæ massonicæ ineluctabile opus 85. — Status, familia, ditiæ, sine religione consistere nequeunt 85. — Bona tum privata tum publica a religione fluentia enumerantur 86. — Religionis naufragium dupliciter Italiæ exitiosum foret, cui

nempe antiqua gloria omnis a religione catholica manabat
 86. — Quare pessimam in patriam committit rapinam, qui
 eam tam secundo thesauro frustrari aggreditur 87. — Peri-
 culum ingens a socialistis imminet, quos nulla vis poterit
 continere nisi religio 87. — Insuper lucta Italiæ cum S. Sede,
 politice priori funesta est valde 88. — Hæc lucta intus scin-
 dit corda, privat ordinem viribus sanioribus 88. — Foris,
 Italiæ reddit infestos quotquot colunt libertatem Vicarii
 Christi 88. — En opus sectarum exitiale! 88 — Ponatur e contra
 libertas plena Ecclesiæ 88. — Quam felix rursus patria flo-
 ret! 88. — Quæstio socialis pacifice soluta, libertas publica
 bonis moribus tuta, concordia restituta inter utramque pot-
 estatem, rectores civitatum juriū suorum certiores, totius
 catholici orbis Italiæ reconciliati, decus S. Sedis in Italiam
 refulgens, avita gloria rediviva, Roma caput orbis christiani
 89. — Optimi patriæ amici catholici 90. — Pontifex excitat
 zelum Præsulum, ut hisce doctrinis greges imbuant 90. —
 Sciant, nedum sectarii, saltem ignavi juvenes res ad pessima
 declinare nisi alia via ineatur 90. — Adjutorium desursum
 implorat a Deo, a Domina Rosarii, a principibus Apostolo-
 rum 91.

**24. EPISTOLA ad Cardinalem Mermillod, Episc. Lau-
 sanensem et Genevensem, aliasque Helvetiæ Episcopos.
 De fovenda universitate Friburgensi. — 24 Octobr. 1890** 92

Pontifex inter acta conventus Friburgi nuper habiti impri-
 mis probat quæ ad Universitatem ibidem conditam perti-
 nent 92. — Laudat zelum ab Episcopis huic operi devotum
 92. — Optima in futurum sperat ab hoc vetere christianæ
 sapientiæ ædificio, superatis procellis, denuo assurgente 92. —
 Christiana sapientia civitatum salus 93. — Magisterii Supre-
 mi sibi divinitus commissi munera implens 93. — Pontifex
 testatur gratissimas sibi fore quascumque curas in fovendum
 Friburgense Athenæum ab Episcopis impensas 93.

**25. EPISTOLA ad Cardinalem Sanfelice, Archiep.
 Neapolitanum, et Capecelatro, Archiepiscopum Capua-
 num, et alios Campaniæ Episcopos. De obedientia Epi-
 scopis a fidelibus debita. — 3 Novemb. 1890** 95

Pontifex laudat Præsulum Campaniæ concordiam ac zelum
 95. — Dolet nonnullos ex eorum subditis, dissidia ac diffi-
 dentiam serentes, sese temere, indisciplinatorum instar mili-
 tum, proprii Episcopi auctoritati subtrahere 95. — Deterior
 inertiarum contumax zelus 95.

**26. LITTERÆ APOSTOLICÆ. De regimine et dis-
 ciplina Congregationis Anglo-Benedictinæ novanda. —
 Pridie idus Novemb. 1890** 97

Pontifex recolit ordinem S. Benedicti de Anglia inde a sæ-
 culo VI specialissime meritum, ibidem maxime quoque flo-

russe 97. — Post sæculi XVI tempestates, Legibertus Buckley, unus superstes, Congregationis Anglo-Benedictinæ auctor 97. — Quam Congregationem Paulus V adprobavit, legibusque instruendam curavit; Urbanus VIII privilegiis auxit, missionibus accommodavit; Benedictus XIV in obeundis missionum officiis adjuvit; Pius IX ad communem disciplinam initialemque probationem adducendam statuit 98. — Ipse Pontifex visitatorem ad ipsam misit, atque concilia inde orta comprobavit 98. — Nunc per se quædam scopo obstantia tollere intendit 99. — Ostenditur qua sapienti ratione Urbanus VIII tunc temporis jurisdictionem ac disciplinam Congregationis missionibus addictæ diffinierit 99. — Sed instauratis monasteriis discordia orta inter duplex elementum monasticum et missionale 99. — Congregatio quum natura magis monastica sit, missiones monasteriis parere æquum est 100. — In quovis ordine ex dupli elemento sanctificationis internæ, activitatisque externæ, prius naturam ipsius magis exprimit 100. — Inde, quum Congregatio Anglo-Benedictina monastica sit, a cœnobiorum rectoribus moderanda est 100. — Quod aperte docet historia prioris Congregationis a S. Augustino, juxta mentem S. Gregorii M. conditæ 100. — Omnia per monachos Abbatibus parentes fiebant tam extra quam intra claustrorum septa 101. — Qualis floruit per sæcula, talis instaurata vigeat oportet 101. — Idem eruitur ex Constitutione *Plantata* Urbani VIII 101. Ita fert consuetudo universalis Ordinis Benedicti, ut monasteriis missiones pareant 102. — Tali disciplina utrisque perutilis; nam impedit ne monasteria per labores missionales exhaustantur, et vicissim per exempla claustralicia missiones fœcundantur 102. — Monasteria sunt tamquam officinæ optimorum scriptorum 103. — Ipsa educatio juventutis a cœnobio majorem accipit existimationem et fructum 103. — Relationem hanc missionum ad monasteria in responsis Cardinalem intendisse, non inficit responsum ad primum quæsitus, diserte declarat responsum ad secundum caput; quod per singulas partes ostenditur, quæ pertinent ad novas missiones suscipiendas, ad missionarios diligendos, ad excitanda studia, ad rectorum sedem, ad unicum tirocinium, ad capitula generalia 103-105. — Accedit responsum ad quintam quæstionem, quo constitutio monasticæ legi quam maxime conformanda declaratur 105. — Hisce permotus Pontifex statuit sequentia 105. — Munera provincialium ac binæ provinciæ missionales delentur 106. — Missiones jurisdictioni monasteriorum submittuntur 106. — Ad præpositos monasteriorum transferuntur privilegia Provincialium 106. — Præpositi quoad missiones præsidi generali morem gerant 106. — Nonnisi optimi missionibus destinentur 106. — Missionarii quotannis aliquod tempus in propriis cœnobio degant 107. — Per novum consilium missiones, earumque pecuniæ inter monasteria æque

distribuantur 107. — Novus ordo constitutionum elaboretur ad mentem in hisce expositam 107. — Pontifex præsentia decreta omnino servanda declarat 107.

27. EPISTOLA ad Cardinalem Benavides y Navarrete Archiepiscopum Cæsaraugstanum. De concordia et zelo pacifico. — 14 Novemb. 1890 109

Pontifex lætatur de felici eventu congressus Cæsaraugstæ habiti, imprimis de jure ac libertate Supremi Pastoris strenue vindicatis ab iniqua temporum oppressione, adprobante numerosissima, clarissimaque corona 109. — Lætatur Hispaniam, virium consiam, ad certamen fidei experrectam 110. — Dolet adhuc remanere quosdam contumaces catholicos, discordiæ addictos 110. — Sperat fore ut tandem ad meliorem sensum se recipient 110. — Laudat Episcopos Hispaniæ, eorumque stimulat zelum pacificum 110. — In defensione Ecclesiæ abdicanda commoda et judicia privata 111. — Pontifex vota faciens Hispaniæ Catholicæ benedit 111.

28. EPISTOLA ad singulos catholici orbis Episcopos. De missionibus Africanis stipe communi iuvandis. — 20 Novemb. 1890 112

Pontifex testatur Ecclesiam delendæ servitutis semper fuisse sollicitam, ope imprimis Romanorum Pontificum 112. — Re-colit litteras a se de eodem argumento ad Episcopos Brasiliæ missas, quæque egerit pro tollenda immani servitute Afrorum 113. — Fructus laborum læte grateque salutat, imprimis conventus Bruxellis ac Lutetiæ habitos 113. — Gravior Pontifici cura ut floreat apud Afros religio christiana, humanæ dignitatis magistra 114. — Plures in hac messe operarii requiruntur, itemque pares opes, angustiis presso supremo Pastro, a fidelibus totius orbis expectandæ 114-115. — Colligatur quotannis, die Epiphaniæ Domini, pecunia ad hunc finem, Romammittenda, atque inter missiones Africanas disperienda 115. — Pontifex sperat hac abundanti stipe nullo modo institutum Lugdunense *a propagatione fidei* frustratum iri 116.

29. LITTERÆ ad cardinalem Bausa, Archiepiscopum Florentinum. De cultu Sacræ Familiæ. — 20 Novemb. 1890 117

Pontifex grataecepit vota purpurati Præsulis cultum Sacræ Familiæ respicientia 117. — Servandam declarat formam huic cultui a Pio IX adscriptam 117. — Commendat egregie pietati fidelium hunc cultum tot rationibus præcellen-tem 117. — Vota facit ut extendatur magis, formulamque orandi se confici curasse testatur 118.

30. EPISTOLA ad Episcopum S. Flori. De agendi ratione catholicorum in Republica Gallica. — 28 Novemb. 1890 119

De funesto dissidio in Galliis orto quid sentiat Ecclesia ex actis ejusdem patet 119. — Non abhorret ab aliqua forma reipublicæ, religionis animarumque sollicita 119. — Nil definiens de juribus, cum existentibus potestatibus tractat 119. — Hanc agendi rationem fideles sequantur, boni religionis causa, imprimis catholici Galli 120. — Ducibus Episcopis, convenient in tuenda jura religionis 120. — Plura mala se querentur ex alia agendi ratione 120.

31. LITTERÆ APOSTOLICÆ quibus seminarium clericorum e diœcesibus Italiæ superioris in urbe canonicæ constituitur. — 15 Decemb. 1890 122

Pontifex testatur se clero informando, institutis ei in urbe excitatis, præcipuas semper curas impendisse 122. — Collegium a S. Carolo conditum 122, insubriæ alumnis fœcundum, urbe capta solutum, jam Italiæ superioris clericis patens fausto die instauratum, legibus ac magistris optimis se curante instructum, Pontifex, postulantibus ejusdem seminarii patrono ac præposito, sub auspiciis SS. Ambrosii et Caroli suprema auctoritate constituit 122-124. — Quædam de studiorum ratione diffinit 124. — Vota facit, ut alumni expectationi suæ respondeant, Antistites instituto libenter utantur, fideles illud pecunia juvent 124-125.

32. LITTERÆ APOSTOLICÆ de probandis statutis seminarii in oppido Comillas, diœcesis Santanderiensis erecti. — 16 Decemb. 1890 126

Laudatur Antonii Lopez et filii Claudi Lopez marchionis de Comillas pium condendi seminarii consilium 126. — Exponuntur postulationes fundatorum, ac statuta seminarii 127. — 1. De patria recipiendorum alumnorum; 2. de gratis alienis, deque sumptibus propriis admittendis alumnis; 3. de praesidio seminarii Romano Pontifici ejusque Nuntio oblato; 4. de magisterio Soc. Jesu commisso, deque ædibus 127-128. — 5. De magistris, 6. de casu violati pontificii juris, 7. de jure conditorum vel parochi oppidi, 8. de studiorum ratione, 9. de institutis legibusque, 10. de requisitis a cooptandis alumnis: 1º quoad ætatem, 2º quoad mores, 3º quoad experimentum præbendum, 4º quoad libros, vestes, victum, etc., 5º quoad mansionem in Seminario, 6º quoad probationes subeundas, 7º quoad studiorum rationem, 8º quoad dimissionem, 9º quoad ordinationes, 10º quoad intermissionem studiorum; 11. de dotibus a benefactoribus conferendis, 12. de tributo orationum conditoribus debito 129-132. — Pontifex rite omnibus oratorum postulationibus annuit 132.

33. DECRETUM de nonnullis abusibus qui in instituta religiosa irrepserant evelendis. — 17 Decemb. 1890 134

Leges nonnunquam a fine deficiunt 134. — Tales fuerunt in aliquibus mulierum ac laicorum congregationibus ea quæ

pertinent ad conscientiae manifestationem, ad confessarios ordinarios et extraordinarios, ad directionem ipsis competentem 134. — Quare SS. D. N. Leo XIII decretivit : 1. In his congregationibus a manifestatione intima conscientiae abstinentum 135. — Statuta contraria delenda 135. — 2. Hæc manifestatio a superioribus nullo prorsus modo expetatur : secus denuncientur superioribus majoribus, vel S. Congregationi 135. — 3. Libere facta permittitur 136. — 4. Confessarii extraordinarii concedantur potentibus, ab ordinariis designandi 136. — 5. Accessus ad s. Synaxim ad solum confessarium spectat, nullo modo ad superiores, nisi casu gravi scandali post ultimam confessionem commissi 136. — 6. Superiores de frequenti communione a confessario concessa monendi sunt 136. — Rationibus huic licentiæ obstare visis confessario manifestatis, ejus sententiae pareant 136. — 7. Decretis rebelles incurvant poenas latas contra superiores Ap. Sed. mandata violantes 136. — 8. Decretum hoc, vernaculo sermone constitutionibus insertum, quotannis legatur 137.

33. EPISTOLA ad D^m Lud. Windhorst, Franc. Brannitz, Carol. Trimborn, præsides unionis popularis catholico-rum Germaniæ. — 23 Decemb. 1890 138

Pontifex laudat opus ab egregiis viris ad religionis et patriæ tutamen susceptum 138. — Dei benedictionem ipsis ad futuram pollicetur 138. — Vota facit pro felici exitu tam salutaris consilii 138.

34. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales de lucta in gravescente in Italia. — 23 Decemb. 1890... 140

Pontifex vota votis rependit 140. — Utinam natus Salvator mundo et Ecclesiæ pacem conferat ! 140. — Interim in lucta Pontificem zelus bonorum solatur 140. — Ecclesiæ, utpote Italiæ inimicæ, magis in dies adversatur impietas 140. — Ubi sint veri Italiæ hostes 141. — Mirum sane quod viri neque sectis addicti, neque ingenio orbati hanc veritatem non cernant 141. — Boni bonis se jungant ad defendendam religionis libertatem 141. — Agitur enim de religione, non de quæstione politica 142. — Sacro Collegio Pontifex benedicit 142.

35. LITTERÆ APOSTOLICÆ de sacris solemnibus proximo mense iunio in honorem sancti Aloisii Gonzagæ peragendis. — 1 Januar. 1891 143

Pontifex lætatur sæcularia festa S. Aloisii Gonz. tanta pietate incendere orbis fidelium animos 143. — Juventutis Patrono ipse devotissimus, optimos ex his festivitatibus fructus sperat colligendos 143. — Juvenum exemplar diserte celebrat 143. — Sodalitates ad S. Aloisii festa celebranda institutas laudat 144. — Puerorum ac puellarum zelum excitat 144. — Postulationibus annuens, Pontifex concedit tum

peregrinantibus Romam, tum id non valentibus, indulgentias animabus patientibus in purgatorio profuturas	145.
37. EPISTOLA ad Salvatorem Archiepiscopum Genuensem de festis in honorem Christophori Columbi. — 10 januarii 1891...	146
Pontifex laudat egregie festa in honorem Christ. Columbi Genuæ celebranda modo congruo indoli tanti viri	146.
Incepit Columbi evangelico spiritu ducta	146.
Catholicas fore columbinas solemnitates haud dubitat	146.
38. EPISTOLA ad Cardinalem Parocchi, Urbis Vicarium, et ad Curatores Sæcularium Solemnium S. Gregorii Magni. — 10 februarii 1891...	148
Pontifex testatur gratissimas sibi fore solemnitates sæculares Gregorii Magni ad Cathedram Petri erectionem recolentes	148.
— Laudes perillustris sui predecessoris dicit	148.
Solemnitatibus celebranda sunt tanti Pontificis exempla, et Romæ catholicæ dignitas	148.
Magnæ inde gratiæ Deo totius boni auctori agendæ, atque inclyti Pontificis monumenta colenda	149.
— Quæ pie recognitata præsenti ætati multiplici titulo perutilia erunt	149.
— Utinam intuitu meritorum Gregorii Deus Ecclesiam procellis eripiat	149-150.
39. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales de Pontificatu Gregorii Magni, sui Pontificatus gloriose exemplari. — 2 martii 1891.	151
Præteriti anni angustias memorans, Pontifex annum novum vix faustiorem expectat	151.
Vota S. Collegii, Gregorio Magno commissa, pergratus accipit	151.
Tempora presentia temporibus Gregorii haud dissimilia profitetur	151.
Confert utrimque hostes Pontifici devincendos	151.
Laudat zelum et opera Gregorii Magni, a quibus ipse exemplar sumpsit, in Oriente, in Anglia	152.
— Ut Leo Magnus Attilam, Gregorius Agilulphum ab Italia continuit, et populum suum a vexationibus bizantinis vindicavit	152.
— Ipse pariter Italiam a pessimis inimicis liberare conatur	152-153.
— Ut olim Gregorius, et ipse pro libertate contra servitutem decertavit in Brasilia deletam, in Africa delendam, ope quidem religiosus	153.
Huic scopo munificentias anni jubilaris instantis magnam partem attribuet	153.
— Invocato Gregorio Magno, S. Collegio benedicit	153.
40. EPISTOLA ad Cardinalem Fredericum Fürstenberg, Archiepisc. Olomucensem, et Franciscum a Paula Schönborn, Archiepisc. Pragensem, et venerabiles Fratres Archiepisc. et Episc. Imperii Austriaci. De quibusdam capitibus congressui Antistitium commendandis.— 3 martii 1891...	154

Pontifex gaudia sua doloribus mixta testatur 154. — Describit impiorum consilia et mala inde oriunda 154. — Quare omnes rectores et subditos de propriis officiis est adhortatus: præsertim tamen Episcopos, qui mira consensione Pastorem adjuvarunt 155. — Zelum imprimis Austriæ Antistitum laudibus effert. Quem ad zelum augendum, ut quotannis congregantur suadet 155-156. — Perutiles tales sunt congressiones tum Præsulibus, tum gregibus, et ipsis cum maximo fructu conventus celebrantibus 156. — Argumenta congressuris non deerunt: vinculum unionis cum Supremo Pastore; vindicanda libertas Pontificis; negotia communia tractanda; clerus ad mentem Tridentini concilii educandus; populus fidelis doctrina, pietate informandus; boni libri, diaria vulganda 156-157. — Ultimum eo magis necessarium quo plures in Austria pravæ ephemerides in vulgo sparguntur 158. — Unaquæque regio suas habeat ephemerides bonas 158. — Superest et cura opificum, ad mentem legis evangelicæ 158.

41. LITTERÆ APOSTOLICÆ de festo S. Iosephi in Pedemontis, Liguriæ, Longobardiæ et Sardiniæ regionibus instaurando. — 3 martii 1891 160

Lætus Pontifex harum partium Episcoporum vota excepit de colendo sub duplice præcepto die festo S. Iosephi 160. — Pii IX successoris vestigia premens, cultum Sponsi B. V. litteris encyclicis fovit, quibus orbis catholicus uno plausu respondit 160. — Italos ceteras regiones unanimi S. Josephi cultu superare decet 160-161. — Spes optima ex hoc incremento pietatis hauritur 161. — Pietas in S. Familiam summum contra præsentia mala remedium 161. — Festum auctoritate apostolica in Italia superiori decernitur de duplice præcepto servandum 161.

42. LITTERÆ APOSTOLICÆ de sæcularibus solemnibus S. Ioannis a Cruce. — 4 martii 1891. 162

Post sæcularia solemnia in honorem S. Theresiæ nuper celebrata, Pontifex apprime decens proclamat par tributum S. Joanni a Cruce ab ejusdem familia solvi 162. — Virtutes S. Joannis a Cruce exemplar fidelibus, ac præsertim Carmelitæ præfert, patientiam imprimis mirabilem 162. — Ad augenda hæc sæcularia solemnia, juxta votum Generalis Carmelitarum, largas iudulgentias certis diebus ac locis lucrandas benigne concedit 163.

43. EPISTOLA ad Episcopum Nanciensem et Tullensem de quaestione opificum. — 7 martii 1891. 164

Gratias agens de exemplari epistolæ pastoralis ad se missæ, Pontifex laudat zelum episcopi Nanceiensis 164. — Comprobat imprimis quæ providit tum ad cleri industriam excitandam, tum ad agricolas ope novæ sodalitatis christiane insti-

tuendos 164. — Cujus generis sodalitates late propagari cupit 164.

44. MOTU-PROPRIO de Vaticana specula astronomica restituenda et amplificanda. — 14 martii 1891 165

Ecclesiam, Christi Sponsam, scientiarum altricem Pontifex profitetur atque demonstrat, in rebus theologicis, philosophicis, æconomicis, physicis 165. — Eminet inter scientias astronomia 165. — Ecclesia liturgiæ sollicita, Juliano emendato, calendarium Gregorianum induxit, elaboratum in turri Vaticanarum ædium adhuc exstante 166. — Quæ turris usui pristino per Pium VI restituta fuit, studiisque Philippi Gilii illustrata 166. — Inde aliæ turres in Urbe extrectæ, posthabita Vaticana, utpote minus late quoquoversus patente 167. — Huic destinari instrumenta astronomica occasione jubilæi sacerdotalis accepta placuit, ac proin turrim Vaticanam instrumentis congruis ornari, adjuncta turri *propugnaculi Leoniani* 167. — Pontifex P. Franciscum Denza Collegio astronomico præficit 168. — Leges latas, atque concilium institutum hisce litteris confirmat 168. — Partem munificentiarum jubilæi sacerdotalis attribuit huic operi, quod diu in votis habebat.

45. EPISTOLA ad Cardinalem Richard, Archiepiscopum Parisiensem de altero doctorum virorum conventu Parisiis habendo. — 16 martii 1891... 170

Grate Pontifex nuntium proxime habendi alterius conventus accepit 170. — Per opportunum ut impiæ scientiæ conatus solidæ veritatis instructu repellantur 170. — Benedictio apostolica conventuris impertitur 171.

46. EPISTOLA ad Comitem de Ballestrem, Baronem Heermann et Comitem de Preysing de laudibus Ludovici Windthorst. — 19 martii 1891 172

Probat Pontifex unanimem catholicorum luctum de obitu perillustris ac meritissimi viri Ludovici Windthorst 172. — Laudes defuncti fuse ac diserte celebrat 172. — Quem mors insignibus ipsi destinatis eripuit, sperat Pontifex in sedibus supernis ampliori præmio ornatum 172-173. — Sperat illustres viros, defuncti ducis memores, concordi animo ipsius operi non defuturos.

47. EPISTOLA ad Cardinalem Richard, Archiepiscopum Parisiensem de Basilica SS. Cordis, deque Concordia. — 5 maii 1891 174

Lætatur Pontifex de proxima dedicatione basilicæ SS. Cordi in monte Martyrum extrectæ 174. — Multiplicem rationem tanti gaudii aperit 174. — Utinam catholici Galli, sicuti ad ædificandum hoc templum, ita ad religionem publice tuendam concordes existant 174-175. — Indulgentias occa-

sione dedicationis hujus basilicæ lucrandas benigne concedit
175. — Christum pro salute Galliæ deprecatur 176.

48. LITTERÆ ENCYCLICÆ ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos et Episcopos universos catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

De conditione opificum. — 15 mali 1891... 177

EXORDIUM. Economicum certamen, multiplici fonte ortum, omniumque studia summe tenens, movet Pontificem ut instantius *de conditione opificum* loquatur 177.— Rem arduam simul et periculosam suscepturum urget miserorum indigna fortuna 177-178. — Status *quaestio[n]is*. Deterioris sortis opificum causæ recensentur 178.

I PARS NEGATIVA. — MALI SANATIO A SOCIALISMO HAUD PETENDA 178. — Definitur socialismus 178. — Socialistarum ratio est 1^o *inepta*, 2^o *injusta*, 3^o *subversiva* 178. — 1^o *Inepta* est, nam dirimens jus collocandæ mercedis in prædio ut proprio possidendo, opifici spem adimit melioris sortis opera sua acquirendæ 178-179. — 2^o *Injusta* est, nam possidere res privatum ut suas, jus est homini a natura datum 179. — Demonstratur hoc jus 1') *individui* competere, a) Hoc interest inter belluas et hominem, quod illæ rerum corporearum usu fruantur tantum; hic autem, rationis particeps, insuper ea sibi stabili possessione subjiciat 179. b) Seipsum gubernans consilio suo, providet sibi in futurum; quod maxime præstat per terræ dominatum, ratione ejusdem ubertatis 180. — *Objicitur* huic argumento: x) providentia reipublicæ 180. — Resp.: Homo prior est civitate. β) Deus dedit terram universo generi hominum fruendam 180. — Resp.: x') Non ita ut promiscuum dominatum induxit; sed ita ut industriæ singulorum descriptionem possessionum privatuarum permiserit 180. β') Hoc pacto non minus universitati inservit terra qua omnes aluntur 180-181. c) Quum ubertas terræ sine hominis cultu esse non possit, cultusque rursus a fundo separari nequeat, consequens est cultu hominem fundum liberum, naturæ jure, facere suum 181. — d) Universitas fere generis humani hoc jus proclamat; confirmant leges civiles; divinarum legum sancit auctoritas 181-182. — 2') Jus possidendi, quod singulis natura inest, validius *familiae* domesticæ competit 182. — a) Jus est divinus concessum condendi familiam, civitate antiquorem 182. — Atqui, pater familias, quos procreavit, præsertim hereditaria bonorum transmissione tuetur 182. — b) Familiae, veri nominis societatis jura, nonnisi tyrannice violanda, juribus societatis civilis æqualia sunt, imo majora, quia priora 182. — Intima domorum potestas civilis ne pervadat, extra casum necessitatis, ad sublevandam inopiam, vel ad vindicanda partium jura 183. — Filii enim sunt aliquid patris; mediante familia, civilem ineunt societatem 183. — Socialistæ vero domorum compaginem dissolvunt 183. — 3^o Socialistarum

ratio est *subversiva ordinis* : nutrit discordias, desidiam, miseriam 183. — Recapitulatio 184. — Conclusio : Fundamentum veræ sublevationis privata possessio 184.

II. PARS POSITIVA. — UNDE PETENDUM SIT REMEDIUM. Sacro munere hic fungitur Pontifex 184. — Certe requiritur contentio civilis potestatis, ac utriusque ordinis; sed *Ecclesia posthabita inanis erit hominum opera* 184. — A) REMEDIUM DIVINUM PRÆBET ECCLESIA *doctrina, præceptis, institutis* 184. — 1° DOCTRINA. Docet enim Ecclesia : a) inter homines ipsa natura varias esse dissimilitudines, idque in bonum communis ; b) corporis labore, in statu innocentiae amœnum, post lapsum evasisse arduum ; c) reliquas acerbitates, quibus in poenam vita præsens affligitur, tolli omnino non posse; d) naturâ utrumque ordinem comparari non ad digladiandum inter se, sed ad harmonice conspirandum 184-185.

2° Ortum vero certamen mirifice dirimit Ecclesia 186. — PRÆCEPTIS a) JUSTITIÆ : officia commendans α) alia proletario et opifici ; β) alia divitibus ac dominis : α') verendam in opifice dignitatem humanam et christianam, conditionem per honestam, religionem, mores, vires ac sexum ; β') statuendam ac solvendam ex integro justam mercedem, vitandumque pia culum cælestem vindictam exigens ; γ) compendia proletario rum fovenda 186-187. — b) CHARITATIS insuper præceptis Ecclesia utrumque ordinem proxime conjungit. Docet enim : α) omnes : α') vitae præsenti perbrevi æternam vitam successuram, quæ vera vita est ; β') ad quam acquirendam non conductit bonorum terrestrium possessio, sed usus ; γ') præser timque labores exemplo JESU CHRISTI patienter tolerati 187. β) Docet insuper Ecclesia *divites* : α') opes acquirendæ felicitati æternæ obesse magis quam prodesse ; β') bona, etsi juste possessa, in levamentum tamen egentium ipsis esse commissa, id est, ut superfluum, non quidem ex justitia, sed ex charitate cum pauperibus communicent 188. — Quæ communicatio, Christo teste, prædulcis est, quasi ipsi Christo facta 188. — Docet verbo Ecclesia omnes qualicumque copia bonorum in aliorum usus a Deo esse ditatos 189. — γ) Docet demum *bonis fortune carentes* : α') permagnum esse statum quem Filius Dei amplexus est ; β') veras divitias in virtutibus esse positas ; γ') propensiorem cor Dei ad pauperes habere voluntatem 189. — Qua doctrina amice utriusque ordinis animi copulantur 189. — c) Nec satis : christiana præcepta FRATERNUM dignunt AMOREM 190. — Omnium hominum, α) unus est Creator, β) unus finis, γ) unus Redemptor, primogenitus inter fratres, δ) unus gratiarum thesaurus 190.

3° Demum remedium ipsa Ecclesia adhibet INSTITUTIS SUIS. α) *Animos* instituit per ministerium hierarchicum divinitus efficax, et intima hominum attingens 190. — Cujus ministerii virtutem historia testatur 191. — In JESU CHRISTO olim instauratae et per ipsum ad culmen olim perfectionis advectæ,

ad eum redeant oportet dilabentes societas 191. — b) Nec tamen corporalem vitam neglexit Ecclesia, præsertim proletariorum 191. — a) *Indirecte regendo mores* 191. — Imprimis appetentiam rerum et voluptatum sitim coercendo 192. — β) *Directe cuiusvis generis instituta fovendo ad sublevandum inopiam* 192. — α') A primaeva ætate Ecclesia munia beneficentiae excellentissime exercuit 192. — β') Inde ortum ingens pauperum patrimonium semper fideliter custodivit, auxit, rexit 192. — γ') In cujus loco beneficentiae ex caritate frustra conantur subrogare beneficentiam legalem 192.

b) **REMEDIA HUMANA** Ecclesiæ adjumenta præstent oportet 193. — a') **QUID A REPUBLICA EXPECTANDUM.** — Respublica christiana hic intelligitur 193. — 1º **CONSIDERATIONES GENERALIORES.** a) Civilis potestatis est *publicam* fovere *prosperitatem*, scilicet moralem, religiosam, domesticam, œconomicam 193. — Hoc agens omnibus, præsertim proletariis, jure proprio, consulit 193. — b) Specialius proletariorum curam respublica *utriusque ordinis fautor* habeat; nam proletarii, numero majores, etsi directe in commune bonum minus conferunt quam ordo gubernans, multum tamen prosunt, imprimis affluentiam bonorum externorum per laborem præstando 194-195. — Invigilet ergo respublica, intuitu communis boni, ut hujus affluentiae debitam partem et ipsi percipient 195. — c) Insuper, qui præsunt reipublicæ, sunt *custodes ordinis et jurium* 195. — propter communitatem, non propter seipsos potestatem gerunt 195. — a) Atqui *ordinis* multum interest quod religio, boni mores, corporis vigor, familia, artes floreant; unde ubicumque ista periclitantur, sine potestatis ope damnum capture, hæc interveniat oportet 195-196. — β) *Jura* quidem, præsertim infirmorum et inopum, vindicare debet 196. — 2º **APPLICANTUR HÆC PRINCIPIA.** a) Ut *possidentium jura* civilis potestas tueatur, α) cohibebit cupiditates violentias plebis et concitatores perversos; β) medebitur, præsertim præveniendo causas, incommodo grassanti, quod artificibus ex composito opere solventibus respublica patitur 196-197. — b) *Ad opificem præsidio muniendum*, α) imprimis in ipsis *bona animi* tutabitur, secundum quæ, inferioribus naturis dominari jussi, omnes homines pares sunt, quæque ipse homo abdicare non potest 197-198. — Hinc requiem per dies festos necessariam eis procurabit; quam rursus nec ipsis omittere licet 198. — β) *Bona corporalia et externa* tutabitur, α') invigilando ut in labore virium et temporum ratio servetur 198. — Quo magis onerosus labor est, eo productior sit requies 198. — β') Invigilando ne *pueri* maturius, *feminæ* in damnum sexus vel domus laborent; ad quæ omnia in contractibus respectus habeatur oportet 199. — γ') Invigilando ne *justa mercede* labor privetur 199. — *Objicitur*: Mercede, de qua libere inter partes conventum est, integre soluta, salva justitia habenda est, Resp.: Hoc non sufficit. Labor, divino instituto victui in-

serviens duplēm notam continent: aliam *personalitatis*, juxta quam opifex potest libere de angustiore mercede convenire; aliam *necessitatis*, juxta quam lege naturae labor nequit esse sustentandæ vitæ impar 199-200. — Nullus est habendus contractus in quo hæc lex violatur 200. — Caveat tamen potestas publica ne importunius sese in hæc inferat; quæ satius privatis collegiis curanda relinquentur 200. — δ') Procurando ut opifices, parcimoniae studentes, *ad modicum censum perveniant* 201. — Ex quo plura bona sequentur: α") æquior partitio bonorum et proinde imminutum discrimen inter utrumque ordinem; β") major abundantia rerum, quas terra gignit, duplicata voluntatis alacritate; γ") civibus facultas felicem in patria ducendi vitam 201. — Ad hæc obtainenda modica sit auctoritas publica in statuendis tributis 201.

β') QUID IN HAC RE POSSINT DOMINI ET OPIFICES. Institutis variis multum possunt, sed præsertim, ut docet historia, sodalitiis opificum, præsenti temporis accommodatis, sive ex uno ordine, sive ex utroque conflatis 202. — Hæc sodalitia 1° *legitima* sunt. Fundamentum habent jus naturale coeundi ad mutuum levamen 202. — Sunt veræ societates, licet imperfectæ, differentes a republica ex fine proximo 203. — Proin civitas nequit violare jus coeundi a quo et ipsa est orta; nisi institutum cum justitia, cum æquitate, cum ordine publico pugnet. — Sed et tunc caute proscribendum 203. — Inter hæc instituta primum locum tenent ordines religiosi, bono communi perutiles, quos, ut religiosi sunt, ad Ecclesiam spectantes, ut sodalitia sunt, a publica potestate æquum est gaudere libertate summa, jure personæ moralis ac fortunis vere suis 204. — Damnatur abusus contrarius, ut dupliciter injustus 204. — 2° *Per opportunity* sunt hæc sodalitia catholica 204. — Quum enim jam multa hujus generis non christiano nomini, non saluti civitatum consentanea existant, opifices christiani, a periculo liberandi sunt inter se coeundo 204-205. — Inde laudandi valde, qui ad meliora opifices reducere conantur, quorum scopus persularis; laudandi *a) qui verbo, b) qui opere, c) qui zelo apostolico, d) qui pecunia adlaborant ad hunc peroptandum finem* 205. — Feliciora tempora hæc collegia, modo crescent, certe parabunt 205. — Reipublicæ est sinere ad hæc cives coire, eaque sua libere regere 205. — 3° *Temperatio* autem horum collegiorum ad ipsa spectat, et a variis adjunctis pendet 206. — Summa ad sequentia reducitur: *a) Ut scopum principalem habeant perfectionem pietatis ac morum* 206. — Hoc primo quæsito, cætera adjicientur 206. — Inde colantur in illis eruditio religiosa, cultus Dei, dierum festorum, Ecclesiæ, sacramentorum 206. — *b) Quod ad cætera spectat, officia bene partienda; commune integre administrandum; jura cuncta servanda, arbitratus integer ad dirimendas lites in ipso collegio formandus; membris copia operis procuranda, atque vectigal ad subveniendum necessitatibus* 207. — 4° *Fructum*

horum collegiorum reipublicæ maxime futurum historia docet 207. — Sicut primi christiani, initio propter exiguitatem conditionis despecti, mox optimis moribus opinionem vicerunt, ita hodieum opifices christiani, societate conjuncti, benevolentiam civium sibi conciliabunt, aliique opifices, vitiorum, pravorumque collegiorum vinculis ægre gravati, christianis sodalitiis nomina dabunt 207-208. — PERORATIO. Hanc viam sine mora ineant potestas publica, ac uterque ordo, morum christianorum imprimis instaurantes 208. — Ecclesia vero, quo majore potietur libertate, eo efficacius adlaborabit 209. — Episcopi ac clerus utrumque ordinem Evangelii præcepta doceant, præsertim caritatem, divinam contra sæculi mala antidotum 209.

- 49. EPISTOLA ad Franciscum Lagrange, Episcopum Carnutensem. De urgendo S. Sedis iudicio in rebus Loigny. — 23 maii 1891.** 210

Pontifex queritur de scandalo orto in pago Loigny 210. — Recolit contumacis feminæ Mathildis Marchat pseudo visiones semel atque iterum damnatas fuisse ; nihilominus ejusdem fautores, quos inter ecclesiasticos viros, huic iudicio non paruisse ; graviores inde censuras contra eos esse latas, libellosque eorum in indicem inscriptos 210-211. — Dolet vehementer hæc omnia scandalo non finem imposuisse 212. — Zelum Antistitis Carnutensis laudat atque stimulat 212.

- 50. EPISTOLA ad Carolum Chesnelong, senatorem reipublicæ Gallicæ. De commendanda catholicis concordia. — 23 maii 1891.** 213

Pontifex laudat sensus nuper cum eximio senatore congressorum 213. — Gaudet de unione virium, ad commune contra Ecclesiae hostes certamen 213. — Sperat in omnes cives hunc spiritum mox effusum iri 213.

- 51. LITTERÆ APOSTOLICÆ de fide catholica in Italiæ scholis tuenda. — 25 maii 1891.** 215

In luctuoso bello Pontifex juvenili ætati impensius declarat subveniendum 215. — Egregie laudat consociationem ad hunc finem Laude Pompeia decretum 215.

- 52. ALLOCUTIO ad S. R. E. Cardinales. De statu Ecclesiæ per orbem. — 1 junii 1891.** 217

Pontifex describit miserum exitum contentionis adversus Ecclesiam in Italia initæ 217. — Nec melior status rerum in aliis Europæ partibus 217. — Ecclesia tamen Christi muneri suo benefico nulla ratione deest 218. — Extra fines Europæ jucundior prospectus 218. — In Africa contra Nigritarum servitutem strenue agitur 218. — In Japonico imperio hierarchia catholica instituitur 218. — In Brasilica regione spes meliorum temporum roboratur 218. — Mox Mexicana respu-

Pag.

blica novis sedibus episcopalibus fruetur 219. — Duo novi cardinales creantur 219.

53. LITTERÆ APOSTOLICÆ quibus statuta seu constitutiones approbantur facultatum theologiæ, philosophiæ ac juris canonici catholicæ universitatis Ottawensis in Canada. — 12 junii 1891. 220

Pontifex recolit quæ egerit quoad universitatem catholicam Ottawæ conditam 220. — Traditas sibi constitutiones facultatis philosophiæ, theologiæ et juris canonici, emendatas auctoritate apostolica, confirmat 221.

54. LITTERÆ APOSTOLICÆ quibus hierarchia episcopal is in Japonia constituitur. — 15 junii 1891... ... 222

Gaudet Pontifex de extensione fidei sibi commissæ in Japonico Imperio 222. — Recoluntur fausta initia veræ religiōnis in hac regione sub S. Francisco Xaverio, ejusque sodalibus, atque aliis verbi sacri præconibus 222-223. — Curante S. Pio V, prima sedes episcopal is in Japonia creata, maximo rei christianæ incremento 223. — Legatio ad Pontificem Gregorium XIII a tribus Japoniæ regibus missa, a Sixto V summo honore recepta 224. — Duce Taicosama aliisque principibus, sæva persecutio messem vastitati devovit 224. — Extincta procella, quid ad ruinas reficiendas egerint Romani Pontifices, auxiliante consilio fidei propagandæ, donec novæ orirentur difficultates 224-225. — Semen tamen fidei non omnino sterile remansit, occultos jugiter fideles germinans 225. — Hoc sæculo rediviva religio catholica in Japonia 225. — Gregorius XVI Vicariatum Apostolicum ibidem creat, cui præficitur Augustinus Forcadi 226. — Inter missionarios Seminarii Parisiensis zelo eminent presbyter Girard 226. — Multi catholicæ religioni nomen dant, invito salutis hoste; novi fideles pristinis conjuncti in millia crescunt 227. — Novus vicarius Japoniæ, Bernardus Petitjean, Episcopus Myriophyensis 227. — Vicariatus in quatuor crescent 227. — Litteræ Pontificis ad Imperatorem, ab Imperatore ad Pontificem missæ 228. — Tempus advenit instituendæ hierarchiæ 228. — Quod suprema apostolica auctoritate completur 228. — Sedes metropolitana Tokio, cuius fines describuntur 229. — Suffraganeæ sedes tres: Nagasaki, Osaka, Hakodate, quarum pariter describuntur fines 229. — Quid muneris Antistitibus incumbat 230. — Quid jure ab auctoritate publica speretur 230. — Præsentium auctoritas firmatur 230.

55. LITTERÆ APOSTOLICÆ de Ecclesiastica hierarchia in Mexico ordinanda. — IX Kal. julii 1891 ... 232

Pontificum curæ est invigilare, ut diœceses juxta amplitudinem gregum mensurentur 232. — Crescente in Mexico numero fidelium, sedes episcopales multiplicandæ visæ sunt 232.—

Quinque novæ sedes jam erectæ ; sed non sufficiunt 232-233. — Omnibus rite præmissis, de consulto ac consensu eorum ad quos spectat, Pontifex erigit novam hierarchiam 233-234. — Sedes de Antequera, de Linares et de Durango ad archiepiscopalem ac metropolitanum gradum provehuntur 234. — In Mexicana ditione quinque novæ sedes episcopales creantur : a Chihuahua, a Saltillo, a Tepic, a Cuernavaca, a Tehuantepec, quarum fines describuntur, et cathedræ conduntur 234. — Antiquarum sedium mutationes diffiniuntur 237. — Novarum sedium paria cum antiquis jura sint 238. — Novæ sedes liberalitati fidelium commendantur 238. — In quaque diœcesi erigatur seminarium ad mentem Tridentini 238. — Doctrina Angelici Doctoris in eis præ omnibus colatur 239. — Jura Antistitum ac munera ipsis obeunda explicantur 239. — Institutio scholaris præcipue eorum zelo commendatur 240. — Foveant insuper ordines religiosos 240. — Aliæ canonicæ formalitates implentur 240. — Distribuuntur Ecclesiæ inter archiepiscopatus 241. — Hæ litteræ firmæ ac ratæ habendæ 241, Guadalaxarensi Archiepiscopo exsequendæ mandantur 242.

56. EPISTOLA ad Archiepiscopos et Episcopos Lusitanæ. De rebus catholicis in Lusitania. — 25 junii 1891. 246

Pontifex laudat acta in recenti conventu Bracaræ habita 246. — Inde occasionem sumit ut iterum de rebus Lusitanæ cum ejusdem antistitibus agat 246. — Mala temporum, præsertim fides in discrimin vocata, congrua remedia expostulant 247. — Quæ ut efficacius applicentur, concordia perfecta inter Antistites multum præstat 247. — Ad hanc vera concordiam maxime conferunt Episcoporum conventus anni 247. — Hujus institutionis fructus exponuntur : Unio major inter Pa-stores atque greges ; deliberatio communis de rebus conducedibus ad animorum informationem, præsertim cleri, nec non ipsis populi; insuper favendi religiosi ordines perutiles tum in regno Lusitanæ, tum in regionibus ipsis subditis 248-249. — Avitam traditionem Lusitania catholica facilius servabit 249. — Sodalitiis religiosis adjuta, favente gubernio Lusitano, Eccles iareipublicæ validissimum præsidium, optimorum civium magistra, si tamen libertate gaudeat ; quod in Lusitania præcipue ostendit 249-250. — Recolens præcedentes suas ad Lusitanos episcopos litteras, simulque gloriam gentis Lusitanæ, doctrinæ catholicæ vim maxime commendat 251. — Zelum Antistitum laudat atque stimulat 251.

57. EPISTOLA ad Archiepiscopum Trevirensem. De sacra D. N. Tunica. — 11 jullii 1891. 253

Pontifex gaudet sacram D. N. Tunicam ad venerationem fidelium mox majorum more proponendam 253. — Dignitatem ac fructus hujus publici cultus celebrat 253. — Leonis X,

vestigia premens, indulgentias S. Tunicam veneraturis con-
cedit 253.

58. LITTERÆ APOSTOLICÆ quibus Immaculatam
 Virginem Dei genitricem Mariam præcipuam Congi inde-
 pendentis patronam habendam esse decernitur. — 21 juli
 1891... 255

Pontifex lætatur de incremento Evangelii in Congi inde-
 pendentis statu 255. — Zelum Congregationis de Scheutveld,
 simul ac Belgarum Regis laudat, necnon egregiorum virorum
 quorum aliquos, nomine proprio citato, celebrat 255. — Po-
 stulantibus Belgis, ut Beatissima Virgo Immaculata Congi
 independentis Patrona proclametur, Pontifex libenter assen-
 tit, festo Assumptionis Deiparæ ut patronali assignato 255-
 256.

59. EPISTOLA ad Gulielmum Allata, præsidem gene-
ralem societatis catholicæ juventutis Italicae. De societate
catholicæ juventutis Italicae. — 8 septembribus 1891 257

Gratus de votis ad se missis, Pontifex testatur amorem
 suum in catholicam juventutem, societatemque ejus nomine
 dicatam 257. — Concordiam quam policta est sese servitu-
 ram lætus salutat, rursusque strenue inculcat 257. — Normas
 quasdam perutiles Societati catholicæ juventutis servandas
 tradere intendit 258. — Laudat Societatem a conventibus
 et comitatibus catholicis dictam 258. — Societas catholicæ
 juventutis, sui juris ac libera maneat 258. — Religioni ac vir-
 tutibus imprimis addicta, populum christiane curet excolen-
 dum, Sed. Apost. vindicandam, bona scripta spargenda 258-
 259. — Laudat Societatem de institutis ad levamen pauperum,
 ad recollidendos adolescentulos derelictos, de promotis ad pia
 loca peregrinationibus deque optime susceptis Romam pere-
 grinantes 259. — Quæ omnia opera laudantur auctoritati ec-
 clesiastice rite submissa 259. — In his præstandis commen-
 datur spiritus fraternæ dilectionis 260. — Hic enim spiritus
 suggerit ut mutuam opem amicam ad communem finem
 juniores senioribus præsertim præstent, insuper ut juniores
 habili palestra ad fortiora formentur, virorum societati, ju-
 ventutem egressi, nomen daturi 260. — Concordiam atque
 fraternum complexum iterum commendans, sodalibus Ponti-
 fex benedicit 260.

60. EPISTOLA ad Joannem Baptistam Paganuzzi
præsidem comitatus generalis permanentis præpositi
operi conventuum virorum catholicorum in Italia. De
instituto conventuum catholicorum in Italia. — 9 sep-
 tembris 1891... 262

Pontifex lætatur de proxime habendo Vicentiae catholico-
 rum conventu 262. — In Italia præsertim tales conventus per-

utiles esse declarat 262. — Probat argumenta proximi con-
 ventus deliberationibus proposita 263. — Inde laudat institu-
 tum catholicorum conventum et comitatum 263. — Dolet
 bellum in Italia Ecclesiæ illatum, collabentesque mores 263.
 — Ad hæc mala devincenda egregie cohortes catholici insti-
 tuti incedunt, Ecclesiæ addictissimæ, virtutibusque christianis
 264. — Laudatur societas catholicæ juventutis, cum hoc insti-
 tuto, cuius auctrix fuit, intime conjuncta 264. — Hæc conjunc-
 tio vires duplicat utriusque, modo juventutis societas sui juris
 maneat, et eam egressi virorum instituto sodales rite instructi
 continuo cooptentur 264-265. — Auspicio et ductu Antistitum
 institutum conventum magis magisque diffundatur 265. —
 Zelo catholicorum virorum Pontifex benedit 265.

**61. EPISTOLA ad Archiepiscopos et Episcopos aliosque
 locorum ordinarios in imperio Germanico et Austro-
 Hungarico. De prava duelli consuetudine. — 12 septem-
 bris 1891.** 266

Antistitum votis obsecundans Pontifex de abominanda
 duelli consuetudine dicere statuit 266. — Utraque lex divina,
 naturalis atque revelata, privata hæc certamina damnat, nec
 non disciplina vitæ civilis 266-267. — Inde Ecclesia gravis-
 simas pœnas in ea ineuntes decrevit, nimis Alexander III,
 267, — Tridentina synodus, Benedictus XIV 267, — Pius IX
 267, — Inanes sunt rationes quibus duellum defendere con-
 tendunt 267. — Honoris restitutio prætextus falsus. Ratio
 vero est damnabilis ultiōis cupiditas 267-268. — Neque valet
 metus vulgi segnitiem exprobrantis 268. — Fallaciam vulgi
 spernendam ipsi ethnici docuere 268. — Timere vulgi opinio-
 nem vera segnities, spernere virtus 268. — Qui bono adhæret,
 ille vere fortis est 268. — Recte igitur in duellum per leges
 civiles sævitum, heu nimis facile spretas 268. — Damnandum
 duellum in militibus æque ac in togatis 269. — Manet inho-
 nestas in re, utilitas publica nullo modo excusat, e contra 269.
 — Pugnat duellum cum humaniore cultu præsentis ætatis 269.
 — Stimulat Pontifex zelum Antistitum, ut hanc doctrinam in
 mores inducant, præsertim juvenum. Probat inter juvenes
 fœdus de non ineundo duello 269.

**62. APPENDIX. Breve quo D. Joann. Jos. Faict, Epi-
 scopus Brugensis, recurrente anno a suscepto episcopatu
 XXV, sacri pallii honore augetur** 271

Reculuntur exempla usus Pallii Episcopis concessi, 271.
 — Ob insignia sua merita Brugensis præsul Pallio decoratur,
 pastoralis numeris symbolo. 271.

**63. EPISTOLA ad Archiabbatem Beuronensem D.
 Placidum Wolter, O. S. B., de laudibus defuncti fratris
 Mauri, ejusdem Congregationis Fundatoris...** 273
 Pontifex grates rependit pro acceptis litteris, easque laudat.

272. — Amorem suum singularem erga meritissimum S. Benedicti Ordinem testatur 273. — Memoriam celebrat defuncti fundatoris Congregationis Beuronensis 273; — votaque facit, ut vestigiis illustribus fratris, successor ejus digne adhæreat, 273.

Erratis, quæ, curas omnes frustrata, in notulas perpaucā irrepsero, index analyticus purgatus est.



INDEX ALPHABETICUS
DOCUMENTORUM

VOL. III ET IV.

EPISTOLAE ENCYCLICAE.

	Vol.	Pag.
<i>Exeunte iam anno, 30 Dec. 1888...</i>	III	190
<i>Dall'alto dell'apostolico seggio, 15 Oct. 1890.</i>	IV	77
<i>Libertas, 20 Jun. 1888...</i>	III	96
<i>Paterna Caritas, 25 Jul. 1888...</i>	III	130
<i>Quamquam pluries, 15 Aug. 1889.</i>	III	272
<i>Rerum novarum, 15 Maii 1891</i>	IV	177
<i>Sapientiae potestatem, 1 Ian. 1890</i>	IV	6

ALLOCUTIONES CONSISTORIALES.

<i>Amplissimum collegium vestrum, 24 Maii 1889.</i>	III	248
<i>Anniversaria, 25 Nov. 1887</i>	III	16
<i>Augurio più bello, 23 Dec. 1890.</i>	IV	138
<i>Colle espressioni, 24 Dec. 1889.</i>	III	300
<i>Come ci fu, 2 Mart. 1888</i>	III	49
<i>I singolari benefici, 24 Dec. 1888.</i>	III	187
<i>La devozione e l'affetto, 2 Mart. 1889.</i>	III	226
<i>Miserandum sane, 1 Jun. 1888.</i>	III	91
<i>Nihil est opus, 1 Jun. 1891.</i>	IV	217
<i>Nostis errorem, 11 Febr. 1889.</i>	III	213
<i>Priores curas nostras, 23 Jun. 1890</i>	IV	57
<i>Quod nuper, 30 Jun. 1889...</i>	III	258
<i>Riceva il sacro collegio, 2 Mart. 1890.</i>	IV	34
<i>Si è compiuto, 2 Mart. 1891</i>	IV	151
<i>Tempestivum quoddam, 30 Dec. 1889</i>	III	301

LITTERAE APOSTOLICAE.

(sub plombo.)

<i>Illud in primis, IX Kal. Jul. 1891.</i>	IV	232
<i>Religiosus ordo Benedicti Patris, pridie Idus Nov. 1890</i>	IV	97

(sub annulo piscatoris.)

<i>Benigno divinae Providentiae, 28 Jun. 1889.</i>	III	255
<i>Cum apostolica Sedes, 5 Feb. 1889</i>	III	206
<i>Cum Nobis Romanorum Pontificum, 12 Jun. 1891.</i>	IV	220
<i>Etsi apud nobilissimam Lusitanorum, 3 Jun. 1890.</i>	IV	53

	Vol.	Pag.
<i>Eximia sacrarum disciplinarum</i> , 20 Dec. 1889.	III	296
<i>Gratus quidem et iucundus Nobis</i> , 4 Mart. 1891.	IV	162
<i>In hoc diuturno crudelique</i> , 25 Maii 1891.	IV	215
<i>In supremo</i> , 15 Dec. 1890.	IV	122
<i>Non maius Nobis</i> , 15 Jun. 1891.	IV	222
<i>Opportune quidem et auspicato</i> , 1 Ian. 1891.	IV	143
<i>Optimae quidem spei</i> , 21 Jul. 1891.	IV	254
<i>Per alias litteras</i> , 8 Nov. 1889.	III	286
<i>Praeclaro</i> , 3 Feb. 1888.	III	43
<i>Quod erat maxime optandum</i> , 3 Mart. 1891.	IV	160
<i>Quod paucis abhinc mensibus</i> . 18 Ian. 1890.	IV	28
<i>Quod primo</i> , 1 Oct. 1887.	III	11
<i>Quod singulari</i> , 17 Jul. 1888.	III	127
<i>Quum probe</i> , 31 Jul. 1888.	III	136
